[illegible]

ELUCIDATIO
EXEMPTIONIS
ET
JURISDICTIONIS
SACRI ORDINIS
CISTERCIENSIS,

In qua

Summorum Pontificum Bullæ, Cardinalium Declarationes, recentiorumque Doctorum Sententiæ circa Cisterciensium Exemptionem & Jurisdictionem compendiosissimè exponuntur, & solutis contrariæ opinionis fundamentis brevissimè elucidantur.

AUTHORE
R. P. HILGERO BURGHOFF,
S. Ord. Cisterc. in Campo Liliorum Professo, in Seminario S. Bernardi Pragæ Superiore, SS. Theologiæ Doctore, & ejusdem in Archiepiscopali Seminario Pragensi Professore ordinario.

SUPERIORUM PERMISSU & expresso Privilegio.

Pragæ in Officina Typographica Urbani Goliasch
ANNO M. DC. LIV.

OLIVÆ Reimpressum Anno M. DC. LXXXVIII.

REVERENDISSIMO AC AMPLISSIMO
Domino, Domino

JACOBO MARTINI DE BRABECK,

SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS
CELEBERRIMI MONASTERII AULAE REGENSIS
& Zarensis

ABBATI MERITISSIMO,

Ejusdemque Sacri Ordinis per Boëmiam, Moraviam
& Lusatiam

VISITATORI ET VICARIO GENERALI,

Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis
Consiliario &c. Domino ac Patrono
suo gratiosissimo.

EXimium Tuum in promovendo Sacro Cistercien-sium Ordine Zelum Præsul Amplissime, *universum Boëmiæ Regnum, & adjacentes Provinciæ Moravia & Lusatia apprimè contestantur, in quibus per tot eosque diversos bellorum*

bellorum motus collapsa fermè Cœnobiorum spes sub suavissimo Tuo Vicariatus Regimine feliciter erecta, non meliora duntaxat sperare jussit, quam quotidiano experimento palàm edocuit, quantum aliàs afflictus memoratæ Religionis Status, utpote ab illo mutatus plurimum, hodiè ad summam inclyti Regni consolationem, Sacrique Ordinis decus & emolumentum floreat & augeatur. Nec in aliud collimat indefessa Tua in manutenendis juribus & conservandis à Sede Apostolica gratiosè concessis Privilegiis industria, quæ præterquam quod in propria agendi sphæra mirâ animi alacritate in dies singulos fructuosè desudet, alios ad consimile operandi studium verbo & exemplo efficacissimè exhortatur. Quodipsum egomet ipse jam pridem experiebar, cum me ex inclyto illo Liliorum Campo *evocatum in Studiis generalibus Pragæ Superiorem constitueres, & eatenus constitutam publicam Philosophiæ jam vero Theologiæ Cathedram possidere velles, ut quos Monastica regularisque disciplina apprimè erudierat, rerum tàm divinarum quàm humanarum Scientia imbuerentur. Amodò iteratis vicibus Tuum* Reverendissime Præsul *Zèlum experiri*

licuit,

licuit, cum ad securius conservandas sæpè memorati Ordinis immunitates brevissimam à me earundem Elucidationem efflagitares, cui, ut appareat, quantum quantâque promptitudine teneat, judicent ii, qui ad injunctum munus promptam viderunt obedientiam, & quos præsentis materiæ difficultas non præterit, nec quotidiana mea in Professura Theologica, aliisque, consvetis exercitiis occupatio nequaquam latere potest. Equidem in rebus optimis expeditio nonnunquam difficilior, hæc moram obsequenti injicere poterat, dum nemini minus, quàm mihi fidere consvevissem, sublatâ tamen hac, aliisque in hoc opere facilè suboriundis considerationibus duce obedientiâ confidentius idipsum ad Te Reverendissime Præsul *obsequentissimè devolvo, & humillimè dedico, cum præsertim gratiosissimè jubente totius S. Ordinis Generali nostro Perillustri ac Reveren: D. D.* Claudio Vaussin *Cistercii Abbbate, S S. Theol: Doctore Parisiense, nec non Christianissimi Regis in supremo Burgundiæ Senatu Consiliario primo, in præsentiarùm Germaniæ ac Boëmiæ aliarumque Provinciarum Monasteria ex singularissimo*

Religio-

Religionis conservandæ Zelo in summam omnium consolationem, manifestamque totius Sac: Ord: utilitatem visitante, hæc præsens jurium & Privilegiorum, Exemptionem & jurisdictionem Cisterciensium concernens Elucidatio specialiter & accuratè inspecta ab Admodum Reverendo ac Eximio Domino Francisco de Chemin *Priore Cistercii, in facultate Parisiensi Doct: Theol: causarum in Capitulo Generali proximè habito occurrentium Promotore assiduo, Viro denique de Ord: universo meritis: nec non ab aliis lumen novum, novumque robur, ac expressam memorati Rev: Generalis desuper licentiam obtinuit, sepositâ formidine, susceptâque confidentiâ majori hoc Tripartitum Opusculum* Rev: Dom: Vestræ *humiliter defero* in signum obedientiæ: *reliquis verò omnibus, quos quotidiana pro tuenda S. Ord: immunitate & exemptione, cura & sollicitudo defatigat,* in signum, *ut spero,* solatii. *Dabam Pragæ in Sem: S. Bern. Anno 1654. Die Sacro Virginis Visitantis.*

Rever: ac Amplis: Dom: Vest:

Obsequentissimus Cliens.

Fr. Hilgerus Burghoff.

ELUCIDATIO EXEMPTIONIS CISTERCIENSIUM À JURISDICTIONE EPISCOPORUM.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

Quid sit Exemptio & quotuplex.

1.

EXemptio ut sic juxta Mirandam tom. 1. de Prælatis Regular. q. 33. a. 1. & juxta Sylv. verbo *Exemptio* n. 1. est liberatio alicujus à potestate alterius: In proposito nostro juxta diversos apud Cockier de Jurisdict. Ordinar. p. 1. q. 1. n. 3. est liberatio à Jurisdictione Ordinarii, vel est liberatio à potestate Ordinarii inferioris à Papa, stante subjectione immediata ad Summum Pontificem, ut notat Rodriq. in suo compendio de Exempt. Regular. Resol. 63. n. 1. juxta Caput *Cum personæ*, de Regul. in 6. *Definitur Exemptio.*

Dividitur in Personalem, Localem, Realem, 2. Exemptio considerata respectu personarum, *Personalis*: respectu rerum, *Realis*: respectu denique locorum, *Localis* nuncupatur. Quorum hæc est differentia, quod *Personalis* personæ ossibus adhærens, ut loquitur Cockier p. 1. q. 2. n. 5. eandem ubicunque comitatur & eximit. *Realis* verò aut *Localis* ad alias res, delicta aut contractus extra locum, seu rem exemptam factos non extendatur. *Perfectissimam,* Perfectissima est, quæ ex his conflata tribuit jus, ut Episcopus nec in rem, nec in locum, nec in Personam quovis loco constitutam quidpiam jurisdictionis exercere possit.

Universalem, 3. Rursum Exemptio alia est *Universalis*, quâ persona simul cum Ecclesia vel monasterium ita eximitur, ut cum universitate rerum & hominum à Jurisdictione Ordinariorum exempta soli duntaxat Pontifici Summo, immediatè subjiciatur: *Particularem,* Alia *Particularis*, quâ Monasterium, Ordo aut Persona in quibusdam solùm casibus eximitur, juxta Gloss. in Clement. *Attendentes*, de statu Monachorum: Idque in perpetuum, quatenus transit ad Successores, diciturque *Exemptio perpetua*: *Vel ad tempus*, quatenus cessante personâ cessat, & temporalis vocatur.

Irrenunciabilem, Renunciabilem. 4. Harum aliæ sunt, quibus renunciare non licet, ut est ea, quam Papa concedit, Cap. *Cum tempore.* de arbitrio, Cap. *Si de terra.* de privilegiis. *Aliæ sunt*, quibus renunciare licet, quales sunt eæ, quas Ordinarius elargitur. De quibus vide-

videantur Cock. cit. q. 3. p. 1. Joann. Andreas c. *Scienti.* in reg. Juris in 6. Felinus de offic. delegatorum, & alii.

5. Est ergo exemptus, qui immediatè Sedi Apostolicæ subjectus est, aut aliquo supra dictorum modorum Ordinario non subest, aut cui aliquando subjectus fuit, aut seclusâ exemptione subesse deberet. Quoniam autem de Exemptione à potestate Ordinariorum quærimus, ulterius videndum est.

Quid sit exemptus.

CAPUT II.

Quanta & quotuplex sit Episcoporum Potestas.

6. QUanta est Summi Pontificis authoritas in tota Ecclesia, tantam DD. gravissimi Sotus 4. d. 27. q. 1. a. 1. Victoria de Potest. Ecclesiæ q. 2. n. 28. Rodriq. tom. 1. q. 23. a. 1. & alii, agnoscunt Episcoporum quorumcunque potestatem in sua Diœcesi, nisi ea à Summo Pontifice, à quo tanquam à capite & supremo Ecclesiæ Principe dependet, limitaretur.

Quanta sit potestas Episcoporum in sua Dioecesi.

7. Duplex autem est Episcoporum potestas. Alia Diœcesana, alia Jurisdictionis, juxta Decretalem Cap. *Dilectus.* n. 4. de offic. Ordinar. *Ad Dioecesanam* spectant ferè ea, quorum percipiendi jus habet Episcopus, ut est Cathedraticum, illud nimirum quod Clerici singulis annis Episcopo pro honore Cathedræ tribuunt. Cap.

Dividitur eorum potestas in Dioecesanam.

Placuit. q. 3. Ut sunt duo *Solidi*, id est, duo aurei, qui tempore Justiniani *Solidi* vocabantur, eò quòd ipsis nil deesse videretur, estque Symbolum subjectionis & obedientiæ, convertique debet in usum & reparationem Ecclesiæ, hoc ipsum dicitur *Synodaticum*, quia in Synodo solvitur. Cap. *Olim*. de Censuris. Item pars decima oblationum, charitativum subsidium, jus exigendi hospitium, Angariæ, & alia omnia, à quibus Monasteria jure communi sunt exempta. De quibus videatur Abbas Cap. *Dilectus*. n. 4. Post Innocentium in Cap. 1. n. 2. de statu Regul. Panormitanus n. 4. Cock. sup. p. 1. q. 15. n. 6. & 11. Azor. p. 2. lib. 3. c. 32. & alii.

Et Jurisdictionis. 8. Ad potestatem Jurisdictionis pertinent, Obedientia erga Episcopum, Canonica subjectio, Reverentia, Institutio, Destitutio, Visitatio, Correctio, Reformatio, Causarum omnium ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium audientia & cognitio, Pœnitentiæ solennis injunctio, Sacramentorum collatio, eaque omnia, in quibus Monasteria Diœcesana jure communi subjiciuntur, ut videre est apud citatos, & Cockier hic n. 7. his suppositis.

CA-

CAPUT III.

An Cistercienses à Potestate Diœcesana Ordinariorum eximantur.

9. CErtum est 1. olim Regulares iis Episcopis, in quorum Diœcesi Monasteria eorum sita erant, aut fuisse subjectos, ut constat apud Rodericum tom. 2. q. 64. &c. Et patet ex Concilio Toletano 4. c. 50. & Toletano 3. c. 5. Concilio Chalcedonensi c. 4. & 8. Aurelianensi 1. c. 11. aut debuisse subjici, nisi speciali privilegio fuissent exempti. Unde *Regulares olim subjecti Episcopis.*

10. Certum est 2. nec Cistercienses ullatenus à potestate Ordinariorum exemptos esse, nisi idipsum iisdem aut propriis, aut per communicationem aliorum Indultis Summorum Pontificum esset concessum.

11. Certum est 3. potuisse Summum Pontificem eximere Cistercienses sicut quoscunque Regulares ab utraque potestate Episcoporum citra eorum injuriam; ita sentiunt DD. communiter, apud Mirandam tom. 1. q. 33. concl. 3. Et ratio est, tùm quia omnis Episcoporum potestas à Summo Pontifice dependet, ut docet Antonius de Rosellis, de potestate Imperiali & Papæ, §. *Hanc sententiam.* num. 13. & 14. Apud Cock. p. 1. q. 11. n. 7. Ideòque ab eo jure optimo, ut loquitur Hieron: Rodriq: in Compendio quæst: Regul. de Episcopis Resolut. 60. restringi & limitari potest. *Potuit Summus Pontifex Cistercienses eximere ab utraque potestate Episcoporum.*

12. Dico Cistercienses de facto à Lege Dioecesana, adeoque ab oblatione Cathedratici, aut Synodatici, decimarum & charitativi subsidii, de quibus plura videantur, cap. 6. hic per totum, & cap. 14. n. 177. & 8. Item ab exhibitione hospitii reliquorumque onerum esse liberos.

Exemit Cistercienses à potestate Dioecesana.

Hoc ipsum de Regularibus generatim tùm apud Mirandam tom. 1. q. 33. a. 2. tùm apud Rodriq. tom. 2. q. 64. a. 3. diversi Canones ostendunt; unde quia hæc exemptio localis est, omnia Cisterciensium Monasteria, Cœmeteria, aliaque quæ intra Monasteriorum septa continentur Cap. *Necessaria.* Cap. *Nulla.* 12. q. 1. comprehendit usque ad passus 30. vel 40. Cap. *Sicut.* Cap. *Definivit.* 17. q. 4. Si nimirum Monasterium sit extra urbem situatum, jure communi sunt libera & exempta, ut docet Navarr. in Manual. c. 25. n. 10. ex Cap. *Quisquis.* 17. q. 4. Dubium solùm est de potestate Jurisdictionis, circa quam sit.

CAPUT IV.

Particularis Cisterciensium exemptio ab origine S. Ordinis elucidatur.

Cistercienses ab origine sunt exempti exemptione partiali.

13. DIco 1. Ordo Cisterciensis partiali exemptione quoad ea scilicet, quæ propriè ad disciplinam Monasticam & observantiam Ordinis spectant, Item quoad electiones Abbatum, visitationes, cognitiones causarum in

in Ordine emergentium, correctiones, & quoad exercitia in Ordine consveta, ab origine fuit exemptus à Jurisdictione Episcoporum.

14. Quod probatur evidenter ex Charta Charitatis in principio, ubi Sancti Patres Conditores Sacri Ordinis Cisterciensis nihil cupientes, quod Monasteria aut gravet, Religiosorum propositum mutet, eorumvè substantiam minuat, *curam tantam animarum illorum sibi gratia charitatis retinere voluerunt, ut si quando à proposito, & observantia Sanctæ Regulæ (quod absit) declinare tentaverint, per eorum solicitudinem ad rectitudinem vitæ redire possint.* *Ratio 1. ex Charta charitatis.*

15. Propterea conclusum fuit, ut nulla in cujusvis Antistitis Episcopatu Abbatia Ordinis Cisterciensis fundaretur, nisi ipse Episcopus Decretum, quod inter Ecclesias dicti Ordinis ad custodiam disciplinæ, & scandali aut contentionis, cum Ordinariis evitandæ primitus per S. Stephanum Cistercii Abbatem & Fratres ejus, super Cœnobiis fundandis firmatum est, (quale est Decretum, quo Episcopi à jure visitandi, electionibus Abbatum interessendi, causas in Ordine emergentes cognoscendi, judicandi, corrigendi, aliisque jurisdictionis actibus, & exercitiis in Ordine consvetis excluduntur) ratum se habere promittat. *Ratio 2. ex decreto de fundandis Monasteriis.* *Confirmatur authoritate Alexandri III.*

16. Cujus expresè meminit Alexander III. Cisterciensibus loquens: *Statuistis inter vos*, inquit, *Nè in alicujus Episcopi Diœcesi Ordinis vestri Abba-*

Abbatia fundetur, donec Episcopus Chartam charitatis ratam se habere promittat.

17. Quapropter cum primi Ordinis Conditores, animarum scilicet subjectorum sibi Religiosorum curam retinuerunt, nullam quoad hoc jurisdictionem aut Episcopis ordinariis, aut cuicunque hominum in Ordinem competere voluerunt, præterquam Summo Pontifici Romano, cui sicut Cistercium Mater seu primum Ordinis Monasterium, quod Apostolicâ authoritate in perpetuum, ut Abbatia libera (salvâ solùm canonicâ Episcopo Cabilionensi Reverentiâ) fundata fuit; ita quoque omnia, ex eo nata Monasteria, soli duntaxat Sedi Apostolicæ, immediatè subjecta forent.

Ratio 3. ex fundatione Cistercii Abbatiæ liberæ & exemptæ.

18. Quod ipsum de primævis Ordinis statutis Summi Pontifices attestati sunt, eaque ut firmius robur obtinerent, diversis temporum intervallis confirmârunt. Eugenius III. Const. *Sacrosancta Romana Eccl.* Anno 1152. Calend. Augusti. Anastasius IV. Adrianus IV. Lucius III. Monasticæ synceritas disciplinæ. Ubi prætquam quòd Pontifex expresè testetur, Abbates Cistercienses ab origine Ordinis non aliâ formâ professionem fecisse Episcopis, quàm hac appositâ semper clausulâ: *Salvo Ordine suo*, decernit, ut *Archiepiscopi & Episcopi in recipiendis Professionibus, quæ à Benedictis aut benedicendis Abbatibus exhibentur, eâ sint formâ & expressione contenti, quæ ab origine Ordinis noscitur instituta,* scilicet

Confirmatur author. Eugenii 3: Anast. 4. Adr. 4. Lucii 3. Cistercienses Abbates ab Episcopis benedicebantur, quib. ab origine profes-

cet ut Abbates ipsi salvo Ordine suo profiteri debeant, & contra instituta Ordinis nullam professionem facere compellantur.

sionem faciebant, salvo tamen semper ordine suo.

19. Verùm ut omnis occasio amputaretur Episcopis prætendendæ alicujus authoritatis in Ordinem ratione hujusmodi Abbatialis Benedictionis, hoc munus ab illis conferendum Innocentius VIII. Constit. *Exposcit.* Abbati Cistercii tanquam Ordinis Patri & Capiti indulsit, ut ipse Abbatibus & Abbatissis benedictionis munus conferre possit, quam demum gratiam Clemens VIII. *Commoditati.* Anno 1599. adeò amplificavit, ut etiam eidem potestatem fecerit subdelegandi aliis, prout usque in hodiernam diem praxis docet.

Abbas Generalis cæteros benedicit, & munus benedicendi committit.

20. Eodem motivo svasus Alexander III. Primis Cisterciensibus Abbatibus concessit, ut possint Fratres suos, & eos qui ad Ordinem accedunt, absolvere à vinculo Excommunicationis, pro appositione ignis, pro violenta manuum injectione in Clericum, pro communicatione cum excommunicatis. Item ut liceat Novitios suos benedicere, & si quid Episcopus ab iisdem contra Privilegia Ordinis peteret, jussit ipsis illud Apostolicâ authoritate denegare, Ne ut ipse etiam Pontifex Urbanus III. Constit. *Cum Ordo* loquitur, *hac occasione Ordo, qui hactenus liber extitit, servituti subjiciatur.*

Abbates Cisterc. absolvunt ab Excomm.

Possunt Novitios benedicere.

21. Est ergo Cisterciensium Ordo tam juxta sua statuta, quàm Summorum Pontificum indul-

ta, quoad obſervantiam ordinis, & Monaſticam diſciplinam, & alia in concluſione adducta jurisdictionis munia, ab origine exemptus, quod ulterius patet ex Paſchalis II. & Calixti II. *Deſiderium quod.* aliorumque Privilegiis, qui Chartam charitatis ejusque Prologum ex integro confirmârunt. Tum denique ex libera ipſorummetEpiſcoporum ceſſione & conſenſu, ut expreſſiſſimè conſtat ex Litteris Gvalteri Epiſcopi Cabillonenſis, quæ extant in libello primorum Ciſtercienſium Monachorum, & apertè teſtatur ſupradictus Calixtus Papa II. Conſtit. Ad hoc in Apoſtol. *Siquidem inquit conſenſu & deliberatione communi Abbatum, & Fratrum Monaſteriorum veſtrorum, & Epiſcoporum, in quorum Parochiis, eadem Monaſteria continentur quædam, &c. Capitula ſtatuiſtis, &c. Apoſtolicâ Authoritate confirmamus, & in perpetuum rata permanere decernimus.*

Confirmantur dicta privilegiis SS. Pontificum, ipſorumque Epiſcoporum conſenſu.

22. Cui ſanè Apoſtolicæ conſtitutioni Epiſcoporum nemo contradixerit, tùm quia ſuam circa hoc erga Summum Pontificem obedientiam & ſubjectionem agnoſcere debet, in virtute enim ſanctæ obedientiæ ab Urbano IV. Conſtit. *Dilecti filii.* præcipitur omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ut contra Privilegia, indulgentias, libertates rationabiles, & antiquas Ordinis conſvetudines, Ciſtercienſes non moleſtent, *quorum aliàs invidentiâ factum eſt,* ut loquitur Pontifex, *quod indul-*

Præcipitur in virtute obedientiæ ut prædicta ſerventur.

dulgentia ipsis concessa, quæq; causa solatii & quietis esse deberet, contra fuerit dispendii & laboris. Tum denique quia Episcopi pactis suorum antecessorum stare tenentur.

23. Neque dicas id esse Episcopis præjudiciosum, licuit enim Summo Pontifici pro jure supremæ Jurisdictionis disponere juxta subditos, prout in Domino noverit expedire, & illos illorumque causas Episcoporum potestati subducere, & suo aut Generalium judicio privativè subjicere, ut tenet Forerus dis. Theol. de Abb. Regul. thesi 18. c. 2. cum Henriq. lib. 7. c. 34. n. 3. & alii. *Solvitur dubium.*

24. Ex quibus indubitanter concludo, cætera Monasteria, à Cistercio nata, eâdem libertate & exemptione ab Ordinariorum Jurisdictione ab origine erecta esse, adeò ut personæ illorum nec in interiori aut exteriori foro ullatenus Episcopis, aut cuivis hominum, præterquam soli Pontifici, immediatè subjicerentur. *Conclusio.*

CAPUT V.

Quænam fuerint Exemptionis causæ.

25. QUibus autem rationibus adducti Summi Pontifices, hanc utramque potestatem ab Episcopis sustulerint, & Religiosos generatim aut speciatim ab eorundem Ordinariorum Jurisdictione subduxerint, tres sunt. *Causæ exemptionis exponuntur.*

Causa efficiens. 26. Prima est ex parte causæ efficientis, Summi nimirum Pontificis, cùm enim potestas illa ab ipso Pontifice Summo in Episcopos derivetur, aut ad minus saltem ab ipso sit materiæ aut subditorum applicatio & determinatio, non est in contrarium ratio, cur citra Episcoporum præjudicium & injuriam eam potestatis partem, prout in Domino visum fuerit, Episcopis adimere non possit, eosque secundùm suæ potestatis plenitudinem, sibi soli immediatè subjicere, ad eum ferè modum, quo graviores casus & concessionem nonnullorum specialium Privilegiorum sibi reservare consvevit.

Causa impulsiva & secundaria. 27. Altera ratio desumitur ex parte causæ impulsivæ & secundariæ, in justam scilicet pœnam, eò quòd Religiosi minus clementer, ut modestè asserit Forerus loco citato, ab aliquibus Episcopis tractarentur. Quod liquidò constat Cap. *Nimis iniqua.* & Cap. *Nimis prava.* de Excessibus Prælatorum, ubi plurima per Clementem V. Summum Pontificem in Concilio Viennensi, & per Alexandrum IV. in Monumentis Ordinum viginti & septem gravamina recensentur. Quocirca sicut Dominus privatur Jurisdictione seu Feudo, qui subditos vel vasallos gravat, juxta Juris Consultos apud Cockier p. 1. q. 1. n. 12. ita ex Ordinariorum oppressione tanquam causa impulsiva, orta est & concessa liberatio & generalis exemptio, à Jurisdictione ordinaria.

28. De-

28. Deindè cùm exemptio Regularium non ordinetur præcisè ad utilitatem & favorem Episcoporum ordinariorum, sed in bonum subditorum & Regularium, qui per bona opera (ut de Cisterciensibus in diversis Summorum Pontificum testimoniis, & specialiter in Bulla Innocentii VIII. inferius citanda videre est) merebantur, ut ab Inferioribus Papæ exempti, immediatiùs tanquam membra, mystico Capiti, Summo nimirum Pontifici conjungerentur; Tum quia id statûs necessitas & utilitas exigebat, nè à pluribus sibi invicem non subordinatis superioribus in magnam Religionis ruinam regerentur.

29. Tertia ratio est ex parte causæ finalis & primariæ, quæ est favor Sedis Apostolicæ, cui interest multos habere sibi immediatè subjectos. Clement. *Pastoralis* de re judicata, & ita tenet Abbas Cap. *Significâsti*. de Foro competenti, cum Rebuffo & cum aliis Forerus thesi 26. c. 2. Tum denique ex parte causæ finalis secundariæ, ut tranquillitati Religionis consulatur, & liberius DEO & propriæ perfectioni ac saluti animarum vacetur, ut tenent Rodriq. quæst. Regul. sup. q. 64. circa finem, Cockier p. 1. q. 1. n. 17. ideo enim Innocentius VIII. Cisterciensibus plenariam exemptionem indulsit, ut, sicut ipse loquitur citatus cap. n. 33. *eò liberius divinis beneplacitis insistere possint.* *Causa finalis & primaria.*

CA-

CAPUT VI.

Integra & universalis Cisterciensium exemptio exponitur.

Cister-ciensés univer-saliter & to-taliter exi-muntur. 30. Dico 1. Cistercienses vi suorum Privilegiorum exempti sunt exemptione universali, reali, locali, & personali, ita scilicet, ut ab Episcopis locorum ordinariis, nec visitari, nec judicari, corrigi, nec subsidium charitativum, collectas, procurationes, nec ad quascunque exactiones, aut angarias cogi, nec ratione delicti, nec ratione rei alicubi existentis, nec contractus alibi initi, apud Episcopos conveniri possint.

Omni-moda exem-ptio confer-tur à SS. Pontifi-cibus. 31. Hanc omnimodam exemptionem ab Eugenio III. Alexandro III. primitùs concessam, Urbanus III. Gregorius IX. & post hos Innocentius VIII. in Constit. *Ad Romani Pontificis spectat officium.* Romæ Anno 1487. luculentissimè confirmavit. Præmissis aliis tenore sequenti prosequitur.

Bulla exem-ptionis totalis Inno-centii 8. Merita Cisterc. 32. *Nos igitur, qui in singulorum sub regulari observantia piæ vitæ studio vacantium quiete reficimur, cupientes ut Religiosi dicti Ordinis (scilicet Cisterciensis) quos præ cæteris propter uberes fructus quos in militante Ecclesia continuè bonis operibus afferunt, in visceribus gerimus charitatis, ut eò liberius divinis beneplacitis insistere possint, &c.*

33. *Monasteria, loca, membra, bona omnia prædicta, præsentia & futura, Abbates, Abbatissas, Mona-*

nachos & Moniales, vasallos, subditos, & servientes, &c. ab omni jurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, Dominio & potestate Archi-Episcoporum, Episcoporum, & aliorum Judicum ordinariorum, eorumq; Vicariorum & Officialium quorumcunq;, nec non à solutione subsidiorum etiam charitativorum, procurationum, collectarum, & aliarum exactionum, &c. prorsus eximimus & totaliter liberamus, ac nobis & Sedi Apostolicæ, immediatè subjicimus.

Cistercienses & quinam cum ipsis totaliter & à quibusnam eximantur.

34. Ita ut, quod Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii & Vicarii, Judices & Officiales, etiam ratione delicti aut contractus, vel rei de qua ageretur, ubicunq; committatur, initiatur contractus, aut res ipsa consistat, nullum in eos, aut eorum aliquem, aut Monasteria, aut membra, & bona prædicta, tanquam prorsus exemptos, & exempta, jurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, aut quasvis alias sententias, censuras & poenas Ecclesiasticas promulgare præsumant seu possint aut debeant quoquo modo.

Eximuntur quoad delicta, contractus, & res ipsas ubique locorum.

35. Nec ipsi sic exempti coram illis, aut ipsius Sedis delegatis vel subdelegatis, nisi in litteris eis pro tempore directis de præsentibus, specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, ad judicium evocari, aut quovis modo directè vel indirectè molestari possint.

Qualiter ad judicium evocari possint.

36. Decernentes omnes & singulos processus, sententias, censuras & poenas, quos & quas per Ar-

Sententiæ, cen-

chi-

Jurae & poenae in Cistercienses extra ordinem latae, nullae sunt & irritae.

chiepiscopos, Episcopos, Ordinarios, Judices, Vicarios & Officiales praedictos, seu eorum aliquem, contra Abbates & alios exemptos, nec non Monasteria & loca ejusmodi etiam exempta, ut praefertur haberi vel promulgari, nec non quidquam secus, super his aut eis ab alio quopiam, quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irrita vel inania nulliusq; roboris vel momenti.

Non obstantibus quibuscunque.

37. Non obstantibus felicis recordationis Innocentii Papae IV. etiam praedecessoris nostri, quae incipit Volentes. & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis quoq; & consvetudinibus Monasteriorum & Ordinis praedictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, nec non omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis, concessum est, non obstare caeterisq; contrariis quibuscunq;.

Qualiter his fides sit adhibenda.

38. Verùm quia difficilè foret praesentes litteras ad singula queq; loca, in quibus expediens foret, deferre, volumus & praefata authoritate decernimus, quod illarum transumptis manu publici Notarii inde rogati subscriptis, & sigillo alicujus Curiae Ecclesiasticae, aut personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ea prorsus in judicio, & extra, & alias ubilibet fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

39. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, decreti, suppletionis, susceptionis, exemptionis, liberationis, subjectionis, con-

stitu-

ſtitutionis, & voluntatis, infringere aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Ita præfatus Pontifex.

40. Vi hujus Privilegii dico 1. Ciſtercienſes hanc plenariam exemptionis Bullam impetrâſſe ob ſpecialia eorum merita & fructus procreatos in Eccleſia militante, hic n. 32. Quam ob rem cùm hoc Privilegium ſit remuneratorium, non poteſt revocari, ita Thomas Maul. de homag. tit. 9. n. 110. Ei enim qui operatur, merces non ſecundùm gratiam imputatur, inquit Apoſtolus ad Romanos 4. ſed ſecundùm debitum. *Hoc privilegium meritorum revocari non poteſt.*

41. Dico 2. Ciſtercienſes ab omni juriſdictione aut poteſtatẽ cujuſcunque Papâ inferioris, ut ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarii, &c. Item ab omni ſolutione ſubſidiorum, etiam charitativorum, aut quarumcunque exactionum (idem ſtatuerunt circa Apoſtolicæ Sedis Legatos & Nuncios, Honorius III. *Cum propter.* Alexander IV. *Religionis circa.* Joannes XXIII. *Religionis.*) prorſus & totaliter exemptos ſoli duntaxat Sedi Apoſtolicæ ſubjacere; nec non eorum Eccleſias bona omnia eſſe exempta, n. 33. & 34. Et ſi alia Eccleſia non exempta uniretur exemptæ, unita quoque foret exempta, ut patet ex citato loco, ubi tam bona præſentia quàm futura totaliter eximuntur, adeoque Ec- *Ciſtercienſes & omnia ipſorum exempta ſunt. Eccleſia aut bona non exempta, ſi exempti uniantur,*

etiam exi muntur.

clesia, quæ foret Filialis & subjecta, sortiretu Privilegia Matricis & superioris, ut novissim docet Cockier p. 3. q. 22. in initio.

Cistercienses ratione delicti, contractus, &c. conveniri non possunt.

42. Dico 3. Cistercienses ratione delicti ubicunque tandem commissi, contractus, au rei, de qua ubicunque agitur, apud Episcop ordinarios, aut alios Papâ inferiores, conven non posse. Item nec ab his quoquo mod excommunicari, suspendi aut interdici, ut p tet ex num. 34.

Nec ad judicium extraneum citari.

43. Dico 4. Cistercienses ad Ordinarioru Episcoporum, aut cujuscunque alterius, exc pto Summi Pontificis, tribunal aut judiciu evocari non possunt, ut constat ex num. cit. n si expressa, & de verbo ad verbum mentio ipsis fiat, num. 35. Idem indulsit Honorius I *Cum Ordinis*. Urbanus IV. *Sacræ vestræ*.

Nisi fiat expressa eorum mentio.

44. Idipsum Cisterciensibus Superioris Ge maniæ, vi communicationis Privilegioru cum Congregatione Hispanica, ut specialit indulsit Urbanus Papa VIII. Anno 1624. 10. J lii, conceditur, ut quæcunque exemptiones h Congregationi ab Apostolica Sede sunt conce sæ, per nullas revocationes sub quibuscunq tenoribus abrogatæ vel revocatæ censeantu nisi de ipsis de verbo ad verbum, ac de Monast riis in eis nominatim mentio fiat, etiamsi Reg lis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopal vel cujuslibet alterius dignitatis intuitu co cedantur; ut videre est in Compendio Privil

giorum Congregationis Hispanicæ. S. Bern. verb. *Exemptio.* §. 12.

45. Dico 5. Cistercienses præterquam quòd jure communi id Privilegii habeant, ut docet Cockier p. 1. q. 17. n. 1. ut nisi factâ mentione Ordinis, rescriptum impetrari non possit; idipsum satis constat ex Innocentiana cit. n. 36. Et si defacto Privilegium quodcunque, vel literæ Apostolicæ, contra dicti Ordinis libertatem obtineantur, nullum habent robur, sed omnia irrita sunt & inania, etiam ex declaratione aliorum SS. Pontificum, Alexandri III. Clementis IV. Joannis XXIII. apud Rodriq. tom. 1. quæst. Reg.

Literæ Apostolicæ contra libertatem Cisterciens. impetratæ irritæ sunt & inanes.

46. Dico 6. Si contra Cistercienses ab aliquo, Papâ inferiore processus formetur, aut sententia feratur, sive excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut cujuslibet censuræ, aut pœnæ Ecclesiasticæ, ipso facto nulla est & inanis, non obstantibus quibuscunque, ut declarat Innocentius cit. n. 36.

Cisterciens. excommunicari, suspendi, aut interdici nequeunt ab Episcopis.

CAPUT VII.

Confirmatur integra Cisterciensium Exemptio, post tempora Concilii Tridentini; sicut etiam ante concessa Privilegia novissimè confirmantur.

47. PRædicta sicut etiam alia diversis temporum intervallis à Summis Pontificibus Cisterciensibus concessa exemptionis plena-

Greg. XIII. post Conc. Trident.

Confirmat Privilegia cum Cisterciensium exemptione plenaria.

plenariæ Privilegia, Gregorius Papa XIII. decem circiter annis post Concil. Tridentinum plenissimè confirmavit Anno 1574. *ut si quæ forsan (in- inquit) tradita & constituta perire inceperint, Domino concedente in suum pristinum statum reflorescant.*

48. Ut autem hæc Gregoriana à moderno Summo Pontifice Innocentio X. specificè, ut pa- tebit hic infra n. 98. anno præterito novissim comprobata & plenissimè confirmata, quam authenticè subscriptam & subsignatam habeo neminem latere possit, & in subsequentibus sa pius citanda veniat, eam ipsam hic ex integr apponendam censui.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cisterciens. Ordo immediatè Sedi Apostolicæ subjectus est.

49. *Supernâ dispositione, cujus inscrutabili provi dentiâ ordinationem suscipiunt universa superemimenti Apostolicæ dignitatis specula meriti licet imparibus constituti, ad ea, per quæ sacræ Reli gionis Cisterciens. Ordinis nobis, ac Sedi Apostolicæ im mediatè subjecti status feliciter dirigatur, & regu laris vitæ institutio jam diu à sanctis viris tam piè & religiosè tradita, & constituta conservetur, et quid deperire inceperit Domino concedente reforma tionem suscipiat, & in suum pristinum statum reflo rescat, ac deniq; personæ sub svavi religionis hujus modi jugo Domino secundùm regulæ suæ puritatem famulantes sua in pacis, & quietis svavitate vo reddere, & fructus in DEI Ecclesia uberiores pro ferre valeant, libenter intendimus; & his, quæ p*

Romanos Pontifices prædecessores nostros propterea concessa, & ordinata fuisse reperiuntur, etiam nostræ approbationis robur adjicimus, ac aliàs desuper statuimus, ordinamus, moderamur, & reformamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

In genere omnia privilegia à SS. Pontific. concessa confirmantur à Greg. XIII.

50. Dudum siquidem felicis recordationis Pio Papæ IV. prædecessori nostro pro parte bonæ memoriæ Ludovici olim Abbatis Monasterii Cistercii Cabillonensis Dioecesis exposito, quòd licet sacer Cisterciensis Ordo in summa puritatis, & devotionis perfectione per multa retroactorum annorum secula, ac tamdiu exemplari Religiosorum suorum vita, atq; sanctimonia non solùm in Regno Franciæ, ubi supremum ejus Caput videlicet Cistercii præfatum cum aliis quatuor illius præcipuis, nempe Firmitatis, Pontigniaci, Claræ vallis, & Morimundi Cabillonensi prædictæ, & Antissiodorensi ac Lingonensi respectivè Dioecesi Monasteriis Filiabus Cistercii nuncupatis, sed etiam per alia ferè universa Christiani orbis climata cum bonæ famæ, & virtutum odore, eximioq; Religionis decore ad ædificationem militantis Ecclesiæ quamdiu juxta Sanctorum Patrum institutiones, & regularia illius instituta præfatis aliisq; Monasteriis de Monachorum dicti Ordinis personis provisum, ejusq; laudabilia instituta, ritus, consvetudines, & Privilegia firmiter observata fuerant, Domino cooperante floruisset. Nihilominus tunc à pluribus annis citra præsertim postquam pleraq; Monasteriorum, ac Prioratuum suorum aliis quàm dicti Ordinis personis commendari, ac ab eorum

Quatuor præcipua Monasteria Cisterc.

Merita Cisterc.

rum superioris obedientia per exemptionum, unionum, aliásque diversas vias tanquam membra à suo corpore divelli, abstrahi, & dismembrari ceperant, specioso illo regularis disciplinæ candore paulatim offuscato universus Ordinis status in miserabilem dispersionem, & desolationem prolapsus erat, & in eadem expositione subjuncto, quòd tantis hujus olim Deo, mortalibusque gratæ Religionis incommodis aliter, quàm per antiquorum statutorum, consvetudinum, rituum, & Privilegiorum prædictorum undique convulsorum, & diversimodè oppressorum restitutionem mederi non posse videbatur, præfatus Antiqua Privilegia Cisterciens: confirmavit Pius 4. *prædecessor supplicationibus ipsius Ludovici Abbatis in ea parte tunc inclinatus antiqua Privilegia per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores suos eidem Cistercienfi Ordini, & ejus Capitulo Generali indulta, & concessa per suas literas approbavit, confirmavit, & innovavit, & alia desuper statuit, & ordinavit.*

Pius 5. §. I. *Et deinde piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædecessor noster eodem erga præfati Cisterciensis Ordinis bonum statum, & reformationem zelo, & animi propensione affectus, antiqua illa eidem Ordini, ut præfertur, concessa Privilegia, & indulta per suas literas etiam approbavit & confirmavit, ac literis Pii IV. prædecessoris ejusmodi etiam suæ approbationis robur adjecit; Nec nonnulla alia opportunam pro temporis conditione præfati Cisterciensis Ordinis reformationem concernentia de novo eidem Ordini, & Capitulo Generali concessit, & indul-*

sit,

ſit, prout in ſingulis literis præfatis plenius continetur.

52. Cùm autem firmiora ſint ea, quibus ſedis prædictæ ſæpius intercedit auctoritas. Nos cupientes, ut illa, quæ pro dicti Ordinis, cujus decus, & integritatem, ac priſtini candoris reſtitutionem non minori, quàm prædicti prædeceſſores noſtri zelo affectamus, ſalubri directione tam piè, ac ſanctè ſtatuta ſunt, inconcuſſa perpetuò remaneant, omnium, & ſingularum immunitatum, libertatum, exemptionum, conſervationum, facultatum, ordinationum, ſtatutorum, Privilegiorum, indultorum, & aliarum gratiarum: Nec non literarum Pij IV. & Pij V. prædeceſſorum hujusmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes. Motu proprio non ad Abbatis Generalis, & ſuperiorum Ordinis hujusmodi, vel quorumvis aliorum inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia omnes, & ſingulas ab Abbate Monaſterij Ciſtercij, aliisque ſuperioribus, & Capitulo Generali Ordinis hujusmodi, ejusque deputatis immunitates, libertates & exemptiones quibusvis tam virorum, quàm Sanctæ Catharinæ Cajetanenſis, & Sanctæ Mariæ de Coeleſtia nuncupatæ Venetiarum, aliisque monialium Monaſteriis, ac Prioratibus, & aliis regularibus locis dicti Ordinis, ac dilectis filiis Abbatibus, & Prioribus, dilectisque in Chriſto filiabus Abbatiſſis, & Prioriſſis, nec non Conventibus, Capitulis, & perſonis eorundem tam in Gallia, Italia, Hiſpania, Portugalia, Germania, Anglia, &

In ſpecie Privilegia & ſtatuta Ciſterc. ienſ. à tempore Pii 4. & Pij 5. Privilegia proprio motu, & certa ſcientia, & mera liberalitate confirmat Greg. 13.

Scotia, quàm alibi ubilibet consistentibus, ita quod immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus hujusmodi non obstantibus pro tempore existentes Abbas Generalis nuncupatus, & alii Superiores dicti Ordinis, eorumq; Vicarii juxta ipsius Ordinis instituta Monasteria, Prioratus, & loca prædicta, ac illorum personas tam in capitibus quàm in membris visitare liberè, & licitè valeant, ac quæcunq; Privilegia, & indulta Apostolica visitandi Monasteria tàm virorum quam mulierum Ordinis hujusmodi quibusvis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis aliis locorum Ordinariis, Abbatibus, & aliis, quàm Generali Cisterciensi prædicto, ac aliis quatuor primis nuncupatis quatuor Monasteriorum filiarum Cistercii nuncupatorum præfatorum Abbatibus cæterisq; Superioribus ejusdem Ordinis ad id ab ipso Generali Capitulo deputatis personis cujuscunq; status, gradus, ordinis, & præeminentiæ existentibus, per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & dictam Sedem etiam ad quorumvis Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, vel etiam motu proprio, & ex certa scientia etiam consistorialiter, & cum causæ cognitione, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis clausulis, irritantibusq;, & aliis decretis hactenus quomodolibet concessa, & etiam iteratis vicibus approbata, & Apostolicas, ac alias literas desuper confectas, & inde secuta quæcunq; ad hoc, duntaxat ut Abbati Generali

Authoritas visitandi omnia, tàm mulierum quàm virorum Monasteria Cisterc. duntaxat Abbati Generali, aliisque Superioribus Ordinis, eorumque Vicariis tribuitur.

& aliis

& aliis Superioribus Ordinis, eorumq; Vicariis Monasteria hujusmodi, ut præfertur, visitare liceat, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium moderamur, & limitamus.

53. Inhibentes Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Superioribus Prælatis videlicet sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à divinis, Abbatibus verò, & aliis inferioribus præfatis, cæterisq; quibuscunq; personis sub excommunicationis latæ sententiæ poenis, ne Abbatem Generalem, & alios Superiores Ordinis, eorumq; Vicarios præfatos quominus visitationes, juxta regularia ordinis instituta hujusmodi liberè facere possint per se, vel interpositas personas directè vel indirectè, aut aliàs quoquo modo impedire audeant, vel præsumant. Ipsis autem Monasteriorum, & aliorum locorum prædictorum Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Conventibus, Monachis, Monialibus, & personis, ut Generalem, aliosq; Abbates Superiores, & Vicarios præfatos, ut præfertur, visitare volentes, benignè recipiant, eisq; & eorum mandatis in concernentibus eorum visitandi officium hujusmodi pareant, & humiliter obediant in virtute sanctæ obedientiæ, & sub similis excommunicationis poena districtè præcipiendo mandamus.

54. Et insuper universa, & singula Privilegia, prærogativas, immunitates, exemptiones, libertates, conservatorias, facultates, indulta, & alias gratias Cistercii, & quatuor filiabus nuncupatis Monasteriis, ac Ordini ejusq; Capitulo Generali, Diffinitoribus, & aliis Superioribus præfatis per piæ memoriæ Paschalem II. Calixtum etiam II. Eugenium III.

Confirmantur privilegia Paschalis 2. Calixti 2. Eugenii 3. Alex. 3. Lucii 3. Honorij 3. Greg. 9. Innocent. 4. Sixti 4.

Alexandrum etiam III. Lucium similiter III. Honorium pariter III. Gregorium IX. Innocentium IV. Sixtum etiam IV. præsertim Commendas, & Commendatarios Monasteriorum, & aliorum locorum Ordinis hujusmodi concernentia, & quòd Commendatarij pro tempore existentes nullam in Monasteria dicti Ordinis sibi commendata, & eorum Monachos jurisdictionem exerceant, & quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, & sedem hujusmodi hactenus quomodolibet concessa.

Confirmantur ordinationes & statuta ab exordio fundationis Cisterciensium.

§ 5. Nec non ordinationes, & statuta ab exordio fundationis ejusdem Ordinis usque in præsentem diem in dicto Generali Capitulo concorditer edita etiamsi in usu esse desiêrint, dummodo per lapsum temporis immemorabilis videlicet centum annorum in desvetudinem non abiêrint, ac prætereа super contributionibus per omnia, & singula ejusdem Ordinis Monasteria Abbati Cistercij, seu Capitulo generali prædictis faciendis, & solvendis, ac prout illa concernunt omnia, & singula alia in literis Apostolicis aliisque documentis desuper confectis contenta, & indè secuta quæcunque licita tamen, & honesta, ac Decretis Concilij Tridentini non adversantia, eisdem auctoritate, & tenore ex certa scientia confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis, & nostræ approbationis robur adjicimus, omnesque & singulos juris, & facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, nec non potiori pro cautela eadem omnia, & singula Privilegia, prærogativas, facultates, exemptiones, quate-

quatenus sint in usu, conservatorias, indulta, & alias gratias eisdem modo, & formâ, quibus Ordini, ejusque Abbatibus, Capitulo Generali, & Superioribus prædictis per dictos prædecessores concessa sunt, illis de novo auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & innovamus.

56. *Et præterea quòd in Monasteriis dicti Ordinis, quæ diversis personis, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & S. R. E. Cardinales existant, de præsenti commendata etiam reperiuntur, & in futurum commendari seu alias quoquomodo aliis quàm Ordinis ipsius personis concedi continget, ubi non fuerit, instituatur mensa conventualis ab Abbatiali mensa distincta, & separata cum annuis fructibus, redditibus, & proventibus, juxta Monasteriorum ipsorum facultates competentibus, & honestis pro sufficienti Conventûs & Monachorum aliorumque Religiosorum ejusdem Ordinis numero in unoquoque ex ipsis Monasteriis per ipsos Generalem, & cæteros Ordinis ipsius Superiores, aut eorum Vicarios ordinando, quam quidem mensam quia etiam ædificiorum, & locorum ad disciplinæ Monasticæ observationem pertinentium, scilicet templorum, ornamentorum, jocalium, librorum Ecclesiasticorum, dormitorij, refectorij, aliorumque locorum regularium, nec non Monasteriorum clausuræ necessariis, & ordinariis reparationibus faciendis obligatam, & obstrictam esse volumus, ut in ea instituenda expensarum annuarum ad hæc necessariarum ratio habeatur, statuimus, & mandamus, ac* *De mensa Conventuali & Abbatiali.*

ad

Ad quod tenentur Commendatarii. *ad eandem mensam sic instituendam, congruosq́ redditus assignandos ipsi commendatarij omnino teneantur, & ad id etiam per censuras Ecclesiasticas fructuum, redditutum, & proventuum sequestrationes, & alia oportuna juris remedia cogi possunt, & debeant.*

De Religiosis mendicantibus Monasteria Cistercienssium occupantibus. *57. Et quia sicut accepimus in multis dicti Ordinis tàm virorum, quàm mulierum Monasteriis quàm plures mendicantium aliorum Ordinum Religiosi utriusq́ sexus ab immemorabili tempore citra se intruserunt, & persæpe intrudere præsumunt, quod illi vel indè realiter, & cum effectu ejiciantur, vel saltem habitum infra annum suscipiãt, ac professionẽ regulares ejusdem Cisterc. ordinis expressè emittant, debitamq́ obedientiam & reverentiam illius Abbati Generali, & reliquis Superioribus prædictis præstent, ac divinum officium secundùm ipsius Ordinis morem celebrent, séque regularibus ejus institutis omnino conforment.*

Annexa Monasteriis loca subjiciuntur Abbati Generali. *58. Quodque Monachi in Monasteriis, & Prioratibus ejusdem Ordinis, aliis piis locis pro tempore unitis, annexis, & incorporatis degentes sint, & remaneant sub obedientia, & correctione Abbatis Generalis, aliorumque Superiorum Ordinis Cisterciensis præfatorum, & suorum Vicariorum in omnibus, & per omnia perindè ac si uniones, annexiones, & incorporationes hujusmodi non emanâssent, etiamsi in illis aliter caveretur, & usus, non tamen à tempore immemorabili, ut præfertur, contrarium obtineat, quæ contra statuti hujusmodi tenorem nemini suffragentur: quòd nullæ alterius Ordinis Moniales nisi causâ legitimâ, subsistente in Abbatissas Monasteriorum*

ſteriorum Monialium dicti Ordinis aſſumi, vel ſi aſſumantur in eiſdem Monaſteriis recipi poſſunt, niſi illorum immediato Patre Superiore præſente, qui habitum illis exhibeat, & ab eis tria ſubſtantialia vota, nec non juramento obſervandi ſtatuta dicti Ordinis, ac ſecundùm ea viventes, recipiat.

Moniales alterius Ordinis in Abbatiſſas Ciſt. ord. non aſſumantur.

59. Quodque omnia, & ſingula Monaſteria Ordinis hujuſmodi tàm virorum quàm mulierum ubicunq; exiſtentes, ſeu eorum Abbates, vel Priores etiam Commendatarij, Abbatiſſæque, vel Prioriſſæ in ſignum obedientiæ, & ſuperioritatis ſolita regalia, videlicet contributiones ſolitas Abbati Monaſterij Ciſtercij, & Capitulo Generali prædictis, omnibus exceptione, recuſatione, præſcriptione, & aliâ excuſatione penitus ceſſantes, annuatim ſolvere teneantur; & ad id compelli poſſint ſub excommunicationis latæ ſententiæ poenâ eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus.

Contributiones ſolutæ tribuantur Abbati Ciſterc. & Capitulo Generali.

60. Et inſuper ut Monaſteria Ciſterc: Ordinis hujuſmodi, quorum quàm plurima ut accepimus præſertim in utraque Sicilia conſiſtentia, aut debitis officiis deſtituta, aut Monachis ob non præſtitam alimoniam deſerta, aut omnino collapſa retecta, recluſa patentia reperiuntur, & ut prophana habentur, ad Conventum, diſciplinam, & bonam frugem revocentur de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine etiam ſtatuimus & ordinamus, ut omnia Monaſteria, & loca dicti Ordinis tam in utraque Sicilia, quàm cæteris omnibus orbis partibus conſtituta etiam commendata, ac etiam de jure patronatus laicorum quocunq; modo exiſtentes, quæ cõvulſa, diruta, & extenuata exiſtunt, reficiantur, & ad debitam clau-

Statutum de reparationibus & aliis neceſſariis.

clausuram reducantur, ac pro faciliori præmissorum executione conveniens pecunia statuatur, & quotannis in id opus donec absolutum fuerit, erogetur, ac in eisdem, & cæteris locis, quemadmodum eorum facultates ad id fuerint sufficientes, competens Monachorum, & ministrorum numerus restituatur, ipsorum quoque Ecclesiæ Sacristiæ, Dormitoria, & Officinæ vasis, vestimentis, libris, sacrâ & communi suppellectile, ac cæteris omnibus ad divinum cultum, & monasticum usum necessariis convenienter instruantur.

De Officio secundùm ritum Ord.

61. Missæ præterea sacrificium, & alia omnia divina officia nocturna, & diurna, quotidiè in choro psallendo juxta ritum dicti Ordinis sine intermissione celebrentur. Insuper ubi sacra lectio juxta Concilij Tridentini dispositionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad divini officij, & chori usum necessarij sunt, saltem Biblia, & Catechismus ad Parochos ante aliquot annos editus. Item Opera S. Bernardi, & si qui alij ad honestam Monachorum occupationem haberi poterunt, habeantur, nisi de illis in assignatione mensæ Conventualis jam prospectum reperiatur. Ita tamen ut de his omnibus nec non vasis, vestimentis, & cæterâ suppellectile præfatâ semel receptis omnes Conventus rationem reddere debeant.

De Libris habendis.

De Seminariis & Novitiatu.

62. Et ut Novitij eâ, quâ decet disciplinâ informentur, unum, aut duo Monasteria in quacunque Provincia, ubi commodè fieri poterit, ordinentur, in quibus Magistri etiam cæterorum Monasteriorum Novitios divini officij rationem, & regularis observantiæ

vantiæ instituta doceant, ita ut quodlibet Monasterium suis necessaria suppeditet, & si nullos habuerit, alij pro eo ejusque impensis recipiantur, & instruantur.

63. Omnia ædificia Conventus quoquo versus claudantur; portæ non necessariæ obstruantur; clathri fenestris ubique opus fuerit infigantur, Templa, Sacristiæ, Capitula, Dormitoria, Refectoria, Infirmariæ, & omnino aliæ Claustri partes nihil prophani patiantur, nec Conventus horreum, penu, præsepia, nec prorsus ulla promercalia Abbatum Commendatariorum conductorum, aut aliorum recipiant, nec illa à Commendatariis, Pensionariis, aliisvè de Claustro non existentes occupentur, sed illis solùm proprii claustrales utantur, prout ad divini officij celebrationem, regularemque observantiam fuerunt constituta. De Clausura.

64. Mulieribus omnibus cujuscunque qualitatis, dignitatis, & ætatis ingressus claustri, & aliorum locorum regularium etiam ædium partis, quæ ab Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, aliisve ministris etiam divisim possidentur, sit penitus interdictus, & si secus factum erit, tam ingredientes, quàm recipientes excommunicationis sententiam incurrant. Mulierum ingressus ad Monasteria interdicitur.

65. Carcer quoque ad correctionem Monachorum, ubi non est, constituatur; & in omnibus Monasteriis inventarium omnium præfatorum, nec non instrumentorum, fundationum, dotationum, auctoritatum, exemplarium, omniumque monimentorum De Carcere & faciendis Inventariis.

con-

conscribatur, & in formam authenticam redigatur; illudque, & cætera omnia præfata fideliter asserventur, sicubi verò locorum quicquam producendum erit, exemplum ab Archetypo desumatur; & transmittatur; nisi talis contigerit necessitas, ut ipsum exemplar producendum sit, quod tunc in fidem alicujus probati deponatur, qui idoneè caveat illud ipsum quàm primum reportandum.

66. Illa quoque Monasteria locis patentibus constituta, quæ propter Turcarum, seu Prædonum, vel hæreticorum incursiones tutè servari non poterunt; facto de ipsorum juribus literis, auctoritatibus, tabulis, monumentis, atque omni prorsus suppellectile mobilibusque bonis jocalibus, & rebus fideli inventario, & si opus erit earum omnium depositio fiat apud personam fide, & facultatibus idoneam, ita ut nihil omnino inde sine consensu expresso, & speciali mandato Conventus moveri valeat, in Civitates, oppidavè vicina transferantur.

De Visitationibus instituendis.

67. Cæterùm ad restituendam Monasticam disciplinam, & restitutam conservandam Cistercij, & cæteri Patres Abbates in Capitulo Generali provideant diligenter, ut omnes visitationes solicitè, & prudenter, ac cum pietate fiant, salutem animarum, Religionis zelum, perpetuum cultum divinum, clausuram, obedientiam, & cætera omnia, quæ ad mores, correctionem, & Religiosorum ædificationem pertinent, procurando.

De Visitatorum receptione.

68. Quibus in rebus ubicunque non sunt mensæ Conventuali assignati redditus, qui hoc onus ferre possint

possint, Abbates, & Commendatarij, ac alii quicunque administrationem spiritualium, & temporalium visitandorum Monasteriorum habentes necessaria omnia ministrare, ac contributiones, & sumptus pro gerendis aliis communibus negotiis dictæ Sedis auctoritate impositas, ac etiam ad brachii secularis adhibitionem præstare; Visitatores, ac solitos, & necessarios ipsorum famulos, & jumenta debita hospitalitate recipere, & eisdem in omnibus auxiliari omnino debeant, & ad id etiam censuris, & poenis Ecclesiasticis per Capitulum, ac etiam per ipsos Visitatores compellantur.

69. *Ne porro deserendi Monasterii occasio Monachis præbeatur, quod ex vagandi libertate illis à Commendatariis oblata, ut expensis parcant, plerumque evenit, præcipimus, & interdicimus, ne ulli omnino Commendatarij quicquam, vel minimum de mensa, & aliis necessariis detrahant, neque ullo modo diminuant, aut quempiam etiam propter delictum ejiciant, sed quotiescunque Monachi quid admiserint, quod quidem animadversione dignum sit, id quamprimum Priori Claustrali, vel si gravius sit delictum, Visitatori significent, qui correctionem juxta Ecclesiæ, & dicti Ordinis statuta faciat, qui si ultra sex menses distulerit, eo ipso sit ab officio depositus, & ad illud, cæteraque omnia Ordinis ejusdem officia triennio inhabilis censeatur, statimque Præsidentes correctionem hujusmodi aliis committere teneantur.* De Provisione facienda Fratribus. De Punitionibus faciendis à Priore claustrali aut si delictum gravius fuerit, à Visitatore.

70. *Ad hæc volumus, & mandamus, ut apud*

De Archivio. dictum Monasterium Cistercij constituatur, constitutumvè restituatur Archivium, in quo Index ordine compositus omnium aliorum Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, & beneficiorum dicti Ordinis in omni parte orbis constitutorum, etiam in commendam obtentorum, vel unitorum habeatur, & item distinctum cujusque inventarium sive repertorium bonorum, proprietatum, rerum, jurium, & actionum omnium, nec non exemplum authenticum instrumentorum, privilegiorum, fundationum, donationum, literarum, auctoritatum, & monimentorum quorumcunque conficiatur, confectumque fideliter asservetur.

Contra Proprietarios. 71. Revocamus quoque & abolemus omnia & quæcunque privilegia, auctoritates, licentias, dispensationes, & indulta cujusque privati rerum, & bonorum usus proprietatis, possessionis, & dominii omnibus cujuscunque gradus, & dignitatis Monachis dicti Ordinis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, ac dictam Sedem, ejusque Legatos ex quibuscunque causis etiam motu proprio & ex certa scientia concessa, confirmata, & innovata quibuscunque concepta formulis, ac clausulis, & decretis suffulta, quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, ac volumus illa omnia vires, & effectum de cætero non habere, quin etiam Visitatores, & cæteros omnes, qui in hujusmodi proprietarios severè non animadverterint ad officia hujusmodi, & alia ipsius Ordinis ministeria perpetuò inhabiles esse.

72. Ca-

72. Cæterum ut vicina plebs egena pro religionis consuetudine, & instituto confoveri, ac cæteri piam, & fidelem rerum administrationem collaudare possint, eisdem Commendatariis præcipimus, ut in suis Monasteriis pauperes eleemosynis pro modo facultatum prosequantur. *De Eleemosynis.*

73. Quia verò nihil æquè, dissolutè, & indisciplinatè vivendi licentiam adfert, quàm impunitatis spes, eamque non ita pridem tàm nonnulla ejusdem Ordinis Monasteria quàm illorum personæ ex eo nancisci cæperint, quod à sententiis, & decretis per ipsius Ordinis Generalem, aut ejus Vicarios in Provinciis deputatos contra se latis ad nostros, & dictæ Sedis Legatos, & Nuncios provocando poenas in se constitutas eludere satagunt in antiquorum statutorum, consvetudinum, rituum, & Privilegiorum præfatorum præjudicium, & ipsius Ordinis Superiorum contemptum, ideo ne abusus, & incommoda hujusmodi tractu temporis altius irrepant, providere volentes, motu, scientiâ & potestate similibus statuimus, & ordinamus, ac districtè præcipimus, & interdicimus, ne ulli omnino dictæ Sedis Legati, vel Nuncij appellationes à sententiis, & decretis per Abbatem Generalem, vel ejus Vicarios, aut Superiores præfatos latis, vel promulgatis, ut præfertur, pro tempore interpositas ullo modo recipiant, aut admittant, neque de illis cognoscant, seu illorum vel quocunque alio prætextu Monasteria, Prioratus, aut alia loca ejusdem Ordinis visitent, sed quotiescunque ad illos aliquid in Monachos, aut personas bujusmodi *De non appellando extra Ordinem in sententiis à Generali & Superioribus Ordinis latis.*

di animadversione dignum deferri contigerit, juxta formam Commendatariis circa delicta Monachorum, & personarum earundem per nos, ut præfertur, præscriptam, Vicarium ipsius Ordinis in illa Provincia institutum monendum curent, qui delinquentes sub poena superiùs ad id constituta exemplariter corrigere, & punire teneatur.

Sententia extra ordinem ab aliquo lata nullius est momenti.

74. Decernentes appellationes, provocationes, aut quascunque alias reclamationes à Monachis, & personis hujusmodi ad dictos Legatos, seu Nuncios, vel locorum Ordinarios, ut præfertur, pro tempore interpositas, vel interponendas, ac processus desuper habitos, vel habendos, nec non indè secuta, vel sequenda quæcunque nullius fore roboris, vel momenti, ac Generalem Abbatem, & Vicarios, nec non Superiores præfatos ad correctionem, & punitionem delinquentium Monachorum, & personarum Ordinis hujusmodi, appellationibus, provocationibus, & reclamationibus hujusmodi nequaquam obstantibus procedere posse, & debere.

Correctio & punitio delinquentium spectat ad Generalem ejusque Vicarios, &c. non obstantibus reclamationib. quibuscunque.

75. Præsentes quoque literas de surreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu quovis prætextu, quæsitové colore, vel ingenio nullatenus notari, argui, vel impugnari posse, neminemq; illa quavis de causa etiam justissima impugnantem in judicio, vel extra audiendum esse, nec illa sub quibusvis similium, vel dissimilium concessionum, gratiarumque revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos & Successores

cessores

cessores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum intuitu, & contemplatione, aut in eorum, vel etiam nullius favorem sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, ac etiam vim contractûs, aut legis, seu statuti perpetui inducentibus decretis, & aliàs quomodolibet concessis, & concedentes, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis desuper quomodolibet editis, & edendis, aliquatenus comprehendi neque illis aliquo unquam tempore etiam per Sedem præfatam derogari posse, nec derogatum censeri nisi de toto tenore & Dat: præsentium expressa mentio habita & derogatio, suspensio, revocatio, limitatio, modificatio, aliaque præmissa de Cisterc ij, aliorumque quatuor primorum nuncupatorum Abbatum prædictorum expresso consensu facta fuerint.

76. Et si aliter derogari, revocari, suspendi, limitari, aut emendari contigerit, hujusmodi derogationem, revocationem, suspensionem, limitationem, correctionem, & emendationem nullius esse roboris, vel momenti, & quoties illæ, vel illa emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restituta, & de novo etiam sub quacunque Dat. per ipsum Abbatem Monasterij Cisterc ij pro tempore existent: eligent: concessa esse, & censeri. Sicque per quoscunque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, aut causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum

Sine expresso consensu primorum Abbatum Cist. & sine expressa in literis de toto mentione habita, præmissis privilegiis.

 cuili-

nullatenus quidquam derogari potest. cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Jubetur ut Nuncij Apostolici aliquè locorum Ordinarij requisiti desuper hæc Privilegia publicent, & defendant. Et contradictores poenis aliisque opportuni juris & facti remediis postpositâ appellati- 77. Et nihilominus omnibus nostris, & dictæ Sedis Legatis, & Nunciis ubicunque existentibus, ac locorum Ordinariis, nec non Ordinis præfati conservatoribus, ipsorumque singulis per Apostolica scripta mandamus, quatenus præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatum, Vicariorum, Visitatorum, & aliorum præfatorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solenniter publican: ipsisque efficacis defensionis præsidio assistent: faciant auctoritate nostra Abbates, Vicarios, Visitatores, & alios præfatos confirmatione, approbatione, adjectione, suppletione, concessione, statuto, ordinatione, innovatione, præcepto, interdicto, revocatione, abolitione, ac sui Generalis voluntatis mandatis, decretis nostris, aliisque præmissis pacificè frui, & gaudere, ac præsentes literas ab omnibus quos illæ concernunt inviolabiliter, & inconcussè observari, non permittentes Abbates, Vicarios, Visitatores, Superiores, ac alios præfatos desuper contra earundem præsentium tenorem quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per præfatas, ac alias sententias, censuras, & poenas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postpositâ compescen: ac legitimis super his haben: servatis processibus

processibus sententias, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij saecularis.

78. Non obstantibus praemissis, & sanctae memoriae Bonifacij Papae VIII. pariter Praedecessoris nostri de una, & Concilio Generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, nec non quibuslibet etiam juramento confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboris statutis, & consuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus, & decretis, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, Legatis, Nunciis, & Ordinariis praefatis, ac aliis quibusvis personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu simili etiam consistorialiter aut aliàs quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis.

one compescant, invocato etiam brachio saeculari, non obstantibus quibuscunque.

79. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum veriores tenores, formas, Dat: & decreta in eis apposita acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma illis tradita obser-

Nec derogatur nisi in literis derogatoriis specialis, specifica, expressa, individua,

at de verbo ad verbum mentio fiat.

observata inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis haben: illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, nec non omnibus illis, quæ in literis Pij IV. & Pij V. ac aliorum Prædecessorum præfatorum expressum fuit non obstare, contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

80. *Cæterùm quia difficilè foret easdem præsentes ad diversa loca Provinciasque circumferri. Volumus, & dictâ auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, seu exemplis etiam formis impressis manu alicujus publici Notarij subscriptis, & sigillo Abbatis Generalis, aut alicujus ex aliis Superioribus Ordinis hujusmodi munitis plena, & indubia, ac ea prorsus fides ubique etiam in judicio adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die 12. Junij, M. D. LXXIV. Pontificatûs nostri Anno Tertio.*

81. Hæc omnia in Gregoriana hac contenta, ne nimiâ prolixitate benevolum aliàs Lectorem forsan molestarent, summatim adducuntur.

82. Et primò quidem Cistercienses, vigore

hujus

hujus constitutionis, immediatè subjiciuntur soli Sedi Apostolicæ, & eximuntur ab omni jurisdictione & potestate ordinariorum Episcoporum, & quorumcunque aliorum Papâ inferiorum, ut patet ex initio dictæ Constitutionis, & per totum.

83. Secundò, confirmantur omnia dicti Ordinis Privilegia in genere, & speciatim Pij IV. & Pij V. juxta quos tribuitur duntaxat Abbati Generali Cisterciensium, aliisque dicti Ordinis Superioribus, eorumque Vicariis, authoritas visitandi Monasteria Cisterciensium, tam mulierum quàm virorum, ubilibet existentia, idque privativè ad Episcopos ordinarios, aut alios quoscunque Papâ inferiores, ut patet ex adjuncta parte duntaxat num. 51. circa finem.

84. Tertiò, prohibetur ne ullus, sive directè sive indirectè, visitationes ejusmodi impediat, sub pœnis interdicti ingressûs Ecclesiæ, suspensionis & excommunicationis latæ sententiæ.

85. Quartò, confirmantur Privilegia Cisterciensium in specie Paschalis II. Calixti II. Eugenii III. Alexandri III. Lucii III. Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. Sixti IV. aliorumque quorumcunque Summorum Pontificum.

86. Quintò, confirmantur ordinationes & statuta primæva dicti Ordinis, licèt non sint in usu, dummodo spatio centum annorum non abiêrint in dissuetudinem, & Concilio Triden-

tino non adversentur; & confirmantur omnia Privilegia quatenus sunt in usu.

87. Sextò, Mensa Abbatis à Conventuali distingvitur, & Commendatariis jubetur, ut sufficienter Monasteriis suis provideant. Et ut mendicantes, qui ab immemorabili tempore in Monasteria Cisterciensium sunt intrusi, aut se intrudere voluerunt, ejiciantur, aut habitum assumant.

88. Septimò, annexa Monasteriis Cisterciensium loca, in iisque degentes subjiciuntur quoad obedientiam & correctionem Abbati Generali, Superioribus Ordinis, eorumque Vicariis. Ubi præterea prohibetur, ne ulla ulterius Ordinis Monialis in Abbatissam Cisterciensem assumatur, nisi observantiam dicti Ordinis recipiat, & à Superioribus Ordinis ejusdem recipiatur & induatur.

89. Octavò, Generali Cistercij & Capitulo Generali, in signum obedientiæ & superioritatis, tribui debent regalia & contributiones solitæ, etiam sub excommunicatione latæ sententiæ. Et ad restauranda Monasteria pecunia conveniens dari debet.

90. Nonò, Officium divinum juxta ritum dicti Ordinis celebrari debet, & certi saltem libri comparari, si juxta Concilium Tridentinum Lectio sacra in Monasterio haberi nequeat.

91. Decimò, Novitiatus in singulis Provinciis habeatur. Item clausura Monialium strictis

ſtrictisſimè ſervari jubetur per Ordinis Superiores. Fiant carceres & inventaria. Item n. 71. videatur de Archivio.

92. Undecimò, Mandatur Superioribus Ciſtercienſium, ut viſitationes ſollicitè inſtituant, procurando animarum ſalutem, &c. Clauſuram, obedientiam, & cætera omnia, quæ ad mores, correctionem, & ædificationem pertinent.

93. Duodecimò, Commendatarij neminem poſſunt ob delictum ex Ordine ejicere, ſed delinquentes puniendi ſunt, à Priore Clauſtrali, aut ſi delictum ſit gravius, à Viſitatore. Qui ſi ultra ſex menſes juxta Ordinis ſtatuta correctionem diſtulerit, eò ipſo ſit ab officio depoſitus, & ad cætera officia inhabilis; delinquens verò ab aliis Superioribus Ordinis puniatur. Item proprietatis vitium ſeverè non punientes Abbates ab officio ipſo facto ſunt depoſiti, & inhabiles ad quodlibet.

94. Decimo tertiò, Non licet extra Ordinem de ſententiis à Generali aut Superioribus aliis eorumvè Vicariis latis, ad quemcunque appellare, ubi ſi quæ feratur nullius eſt momenti & correctio ſpectat ad Generalem, aliosque Superiores & eorundem Vicarios, non obſtantibus quibuscunque. Quod ſi verò aliquid animadverſione dignum àCiſtercienſibus extrà contigerit, & ea propter ad Epiſcopos locorum Ordinarios aut alios delati fuerint, non tamen

ab

ab his ſunt puniendi, ſed delinquentium Superiores monendi, ut juxta ſtatuta Ordinis exemplariter & regulariter corrigant.

95. Decimo quartò, præmiſſis Privilegiis nil derogari debet ſine expreſſo conſenſu Primorum Abbatum Ciſtercienſium, & ſine expreſſa mentione in Literis Apoſtolicis habita de toto tenore.

96. Decimo quintò, Jubetur ut Nuncii Apoſtolici, aliique locorum Ordinarii deſuper requiſiti, dicta Privilegia publicent & defendant & contradictores pœnis aliisque juris & facti remediis poſthabitâ appellatione invocato etiam ſi opus fuerit brachio ſæculari non obſtantibus quibuscunque compeſcant.

97. Neque verò hæc Gregoriana in dubium vocari debet aut poteſt, quam eandem noviſſimè modernus Pontifex Papa X. anno præterlapſo 1653. 26. Julii, ex toto & in ſpecie confirmavit, Conſt: *Exponi nobis.* quam authenticè ſubſcriptam & ſubſignatam habeo tenore ſequenti.

INNOCENTIUS PAPA X.
Ad futuram rei memoriam.

98. *Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Ordinis Ciſtercienſis, quod ipſe privilegia, gratias, & indulta à diverſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris dicto Ordini conceſſa, & ſucceſſivè ab illis; præſertim verò Gregorio Papa XIII. ſimiliter Prædeceſſore noſtro*

stro felic: record. confirmata, quò firmiora subsistant, & ab omnibus arctiùs observentur Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderat, Nos igitur eundem modernum Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolven. & absolutum fore censen: supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia & singula Privilegia, gratias, & indulta per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros eidem Ordini quomodolibet concessa, dummodo in usu, ac licita sint, & honesta, & non sint revocata neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ infirmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tàm juris, quàm facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus, Decernentes illa, nec non præsentes literas semper & perpetuò valida, firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in

futu-

futurum inviolabiliter, & inconcussè perpetuò observari, sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facien: non obstantibus quibuscunque. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die 16. Junij M. DC. LIII. Pontificatus Nostri Anno nono.

Ratio sequentium.

99. Quia verò in modo citato Innocentij X. moderni Summi Pontificis indulto omnia & singula in genere à Sede Apostolica, & speciatim à Gregorio XIII. concessa Cisterciensibus Privilegia confirmantur, adjunctis clausulis, *Quatenus in usu licita & honesta, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus contenta, constitutionibus & statutis Ordinis, sacris Canonibus & Decretis Concilij Tridentini non adversantur,* hinc dissolvendum venit.

CA-

CAPUT VIII.

An Cistercienſium Exemptio ſublata ſit per non uſum aut uſum contrarium.

100. NOtandum 1. Quando Sedes Apoſtolica confirmat Privilegia quatenus ſunt in uſu, intelligenda eſt quòd ea non confirmet, ſi per contrarium uſum contra ea fuerit præſcriptum titulo, bonâ fide, juxta Caput, *Poſſeſſio. de regulis Juris* in 6. Et tempore legitimo: vel juxta juris communis diſpoſitionem ſpatio quadraginta annorum, vel juxta Privilegium ab Eugenio IV. Anno 1434. Ordini S. Benedicti Valleſoleti conceſſum, quo cum cæteris communicantibus gaudent Ciſtercienſes ſpatio ſexaginta annorum. Ut habetur in libro Privilegiorum impreſſo Romæ Anno 1587. ut teſtatur Rodriq. tom. 1. q. 8. art. 3. Imò juxta Privilegium Eugenii IV. conceſſum Monaſterio S. Pauli extra muros, & Pij IV. Congregationi montis Oliveti conceſſum Anno 1507. pridie nonas Junii, ad præſcriptionem requiritur ſpatium centum annorum, ut habetur in Lib. Privileg. Congregationis S. Benedicti, impreſſo Romæ 1589 ut teſtatur Rodriq. tom. 1. q. 36. a. 3.

Explicatur clauſula: Quatenus ſunt in uſu. Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem. 40. anni. 60. anni.

101. Deinde cùm exemptio Ciſtercienſium potiſſimùm cedat in favorem Summi Pontificis, ut oſtendi ſupra c. 5. n. 29. hinc ſicut contra illum non præſcribitur niſi ſpatio centum annorum,

100. anni.

rum,

rum, ut docet Panormitanus in Cap. *Audientiam.* Ita nec contra Cistercienſium exemptionem præſcribetur, aut ſaltem licet diviſivè præſcriberetur, jure Pontificio ipſi ſe tueri poſſunt.

A quo actu contrario aut neglecto tempus præſcriptionis currat.

102. Notandum 2. Quoad ea quæ aliquando in uſu fuerunt, tempus præſcriptionis à primo actu contrario computandum eſt, vel à neglecto uſu quando fuit occaſio utendi; nam ut dicatur ex non uſu Lex aut Privilegium aliquod ſublatum, oportet caſum eveniſſe, ut benè probat Rodriq. tom. 1. q. 8. a. 4. Quod Lex aut Privilegium diſponit, ſi enim nullus talis caſus inciderit, non propterea minus recepta dicitur neque etiam, quamvis executionem conſecuta non ſit, in diſſvetudinem abiiſſe creditur. Unde etiam patet, quod ea quæ de novo conceſſa ſunt nondum tamen in uſum deducta, attendi debet tempus, quo primùm in uſum deduci potuiſſent & debuiſſent. His prænotatis.

Exemptio Ciſterc. eſt in uſu.

103. Dico 1. Exemptio Ciſtercienſium non eſt ſublata per non uſum aut uſum contrarium.

Probatur à continua cura Ordinis.

Licet Ciſtercienſibus (utpote in poſſesſione & notorio juris & facti ſuorum Privilegiorum uſu exiſtentibus) ſuæ ſcilicet profesſionis & uſus probatio non incumbat contra impugnantes, illud ipſum tamen continua hactenus tum Capitulorum & Abbatum Generalium ſolicitudo & induſtria de inſtituendis Monaſteriorum Viſitationibus, & convocandis per Vicarios ſuos tum in Provinciis tum in Regnis Abbatum conventibus,

ventibus, ut si quæ collapsa sint, aut pristino vigori restituantur, aut, si in integro consistant, ad uberiores in Ecclesia militante fructus procurandos solicitè conserventur.

104. Unde ne ullum hujusmodi Exemptionem lædendi periculum ex incuria aut negligentia eorum suboriri posset, hactenus in Capitulis generalibus, sicut novissimè Anno 1651. capitulariter statutum est, ut non tantùm in ullo Papâ inferiore ulla Jurisdictio, sive quoad ea, quæ observantiam Ordinis, aut visitationes, correctiones, aut alios Jurisdictionis actus concernunt, non admittatur, sed etiam (salvâ tamen Episcoporum reverentiâ juxta præscriptam usuum methodum) severissimè prohibetur, *ut Dioecesani Episcopi* (sunt formalia verba) *locorum Ordinarij ad exercitium cujuscunque Jurisdictionis procedere minimè permittantur.*

Probatur 2. per statutum Capituli Gen. Anno 1651.

105. Nec desunt muneri suo assidui ejusdem Ordinis Abbates, Vicarii, qui statutis temporum intervallis injunctum sibi ab Abbate Generali visitandi munus, eximio suæ Religionis tuendæ zelo obeunt, & ea quæ ad inviolabiliter servandã dicti Ordinis immunitatẽ faciunt, summo studio ac assiduitate procurare dignoscuntur.

Probatur 3. ab assiduitate Ordinis in conservando usu suæ exemptionis.

106. Nec plura in hujus veritatis testimonium adducenda veniunt, siquidem hunc ipsum Privilegiorum usum, sedula eorum circumspectio probat, qui vix vero similibus contra Cistercensium Privilegia argumentis, ex Concilio

Probatur 4. ab ipsorum ad-

Versariorum impugnatione.

Tridentino & Bullis Pontificum malè deducti[...] eorundem quotidianum usum & exercitiu[...] variis modis sæpe numero impugnare nitun[...] tur, aut saltem rationem facti curiosè inqui[...] runt, ut plurimæ apud me reservatæ Litter[...] contestantur, ad quas ne repetitis toties vicibu[...] respondendum foret, aut ad tollendam inqui[...] rentium ignorantiam, aut ad auferendam sci[...] entium inquietudinem, præsens elucidati[...] conducet plurimum.

Probatur 5. specialiter in Regno Boëmiæ ab usu Privilegiorum.

107. Verùm nè prolixior sim futurus, ali[...] Regiones in quibus exemptio Ordinis inviola[...] servatur, ex professo pertranseo, ea duntaxat ad[...] ducturus, quæ per Regnum Boëmiæ & adiacen[...] tes illi Provincias practicari experior, & ulteriu[...] ut imperturbatè practicanda, Reverendissim[...] Domino Jacobo Martini de Brabeck modern[...] Abbati Aulæregensi, Viro utpotè in reparan[...] dis per temporum injurias ferè collapsis p[...] Boëmiam, Lusatiam & Moraviam Monasteri[...] restauratori indefesso, ac conservandæ Religio[...] nis reique literariæ promotore eximio, Autho[...] ritate Capituli & Abbatis Generalis novissimè Anno 1651. concessa, & iterato injuncta sun[...] adduxisse sufficiat, quorum tenor est præsens[...]

Nos Frater Claudius Vaussin Abbas Cistercij, SS. Theologiæ in Facultate Parisiensi Doctor, Christianissimi Regis in Supremo Burgundiæ Senatu primus Consiliarius, universi Ordi-

nis Cisterciensis Caput ac Superior Generalis, ejusdemque Capituli Generalis plenariâ fungentes potestate. Admodum Reverendo & nobis in Christo charissimo Confratri Domino Jacobo Martini devoti Monasterij nostri de Aula Regia Abbati nostro nostrique Ordinis per Boëmiam Vicario Generali salutem in Authore salutis.

108. Cùm apprimè *innotuerit Capitulo Generali Cisterciensis Ordinis nostri die 8. mensis Maij anni currentis millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi apud Cistercium celebrato quantâ sapientiâ, doctrinâ, prudentiâ & nostræ religionis promovendæ zelo polleas, quantâque solertiâ, fructu & pietate officium tibi per Boëmiam, Moraviam & Lusatiam commissum obieris, teque propterea idem Capitulum Generale in eodem continuandum suo Decreto censuerit ac de novo instituerit.* *Abbatis Aulæregensis assiduitas, sapientia, doctrina, religionis zelus commendatur, ejusque Comissariatus confirmatur & innovatur*

109. *Nos de ejusdem Capituli Generalis & Ordinis autoritate damus tibi plenariam & omnimodam facultatem, potestatem & authoritatem omnia & singula utriusque sexus Monasteria, Conventus & loca Ordinis nostri in Boëmia, Moravia & Lusatia consistentia, tàm in capite quàm in membris, in spiritualibus & temporalibus, juxta Summorum Pontificum constitutiones, sacri Concilij Tridentini Decreta, & Capitulorum nostrorum Generalium statuta, quoties opus fuerit visitandi & reformandi.* *Confertur ei dem plenaria authoritas visitandi & reformandi*

110. *Ac in omnium Abbatum & Abbatissarum, Monachorum & Monialium, quibuscunque dignitatibus & officiis fungentium, & in prædictis*

di Monasteria omnia per Boëmiam Moraviam & Lusatiam.

Monasteriis inservientium, mores, vitam & instituta diligenter inquirendi, & quæcunque ibidem correctione, emendatione, punitione, institutione, destitutione, reformatione & ordinatione indigere cognoveris, corrigendi, emendandi, puniendi, instituendi, destituendi, reformandi & ordinandi.

Contradictores compellendi.

111. Contradictores inobedientes & rebelles per censuras Ecclesiasticas & poenas in Ordine nostro consuetas, aliaque opportuna juris & facti remedia cogendi & compellendi.

Delinquentes puniendi.

112. Delinquentes quoscunque etiam Abbates & Abbatissas, prout canonicè requirunt sanctiones & regularia nostri Ordinis instituta, coërcendi, castigandi, puniendi, & si sua exigant demerita, suspendendi, deponendi, & in alia Monasteria transferendi.

Libros rationum & computationes examinandi, approbandi &c.

113. Libros rationum administrationis temporalis, & computationes officialium Abbatum & Abbatissarum excipiendi, examinandi, probandi vel improbandi.

De numero Religiosorum & aliis necessariis providendi.

114. Competentem Monachorum & Monialium numerum decernendi, eorundemque honestæ sustentationi & vestimentis ac locorum & ædificiorum regularium reparationibus sufficienter providendi.

Clausuram pro

115. In Monasteriis Monialium juxta Summorum Pontificum & nostrorum Capitulorum Generalium decreta perpetuam Clausuram procurandi & ad effectum perducendi: Confessarios, Procuratores, & Capellanos instituendi vel destituendi.

116. Omnes & singulas regulares personas ab omnibus peccatis, criminibus & casibus, etiam nobis & Capitulo nostro Generali reservatis, per te vel per idoneos Confessarios à te deputandos absolvendi, & absolvi faciendi.

curandi & Monialium Confessarios, &c. instituendi.

117. Benedictionis Abbatialis munus impendendi Abbatibus & Abbatissis Ordinis, quibus per ultimum nostrum Capitulum Generale fuit inhibitum, ne ab aliis quàm à Vicariis aut Co-Abbatibus nostris potestatem ad hunc effectum à nobis habentibus suam Benedictionem Abbatialem petant, & accipiant.

A casibus absolvendi

Benedictionem Abbatialem impendendi.

118. Altaria fixa in Ecclesiis & locis Ordinis nostri reconciliandi & consecrandi.

Prohibetur ne ab aliis benedictio Abbatialis petatur

119. Et generaliter omnia & singula agendi, præstandi, & exercendi, circa præmissa & illa concernentia, vel ab illis quomodocunque dependentia, quæ Vicarij nostri Generales agere, præstare & exercere solent, possunt ac tenentur, & quæcunque nos ipsi ageremus, præstaremus, & exerceremus, si præsentes essemus.

Altaria fixa consecrandi.

120. Mandamus propterea omnibus & singulis Ordinis nostri utriusque sexus in prædictis Monasteriis pro tempore degentibus regularibus personis, quacunque dignitate fungentibus, in virtute S. Obedientiæ, nec non sub censuris Ecclesiasticis & poenis in Ordine nostro consvetis, ut vobis in præmissis, tanquam nobis ipsis humiliter ac devotè pareant. Invocato si opus fuerit brachij sæcularis auxilio, favore & consilio, ad executionem præsentium, quas

NB.

Producta servari jubetur in virtute S. Obedientiæ

&c. sub censuris Ecclesiasticis, &c. & si opus fuerit invocato etiam auxilio brachii sæcularis.

usque ad proximum nostrum Generale Capitulum in suo robore permanere volumus. Datum Cisterc. sub nostra subscriptione, Secretarij nostri Chirographo, & majoris sigilli nostri appensione, Die 10. mensis Maij, Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

Ordo Cisterciensis semper suam exercuit Jurisdictionem.

121. Juxta quæ dico I. Generaliter Ordinem Cisterciensem semper suam exercuisse Jurisdictionem. Aut si id quispiam negare voluerit legitimum præscriptionis tempus, centum annorum spatium contra ipsum probari debet ad hoc ut exemptio illius quoad usum contrarium sublata censeri debeat, aut quoad non usum demonstrari debet ejusmodi præscriptio à termino, quo illius exemptionis actus exerceri potuisset, esse neglecta, quod nemo probaverit.

Quæstio.

122. Quid si aliquis Episcoporum aliquam Cisterciensium Ecclesiam aut Ecclesias aliquas visitaverit, etiam elapso præscriptionis tempore rationes ab Officialibus sibi dari petierit, easque receperit, quæres an ideo exemptio illius sublata, & jus Episcopo acquisitum censeri debeat? Respondeo minimè cum Rodriq. tom. 1. q. 36. a. 3.

Solvitur.

123. *Primò*, quia sic Episcopus in initio præscriptionis, nec habuit titulum, nec bonam fidem requisitam, juxta jus Canonicum Cap. *Possessor* de Reg. juris in 6. Et constat ex Cap. de præscriptione apud Baldum n. 6. ubi probatur

tur, quod Prælatus vel Ecclesia, quæ allegabat se præscripsisse decimas alterius Parochiæ, cùm jus commune contrarium habeat, debebat probare titulum & bonam fidem, quietam & pacificam possessionem spatio quadraginta annorum, juxta jus commune, vel quod dictam Parochiam tanto tempore possederit, quo Parochia ab hominum memoria non fuerit in contrarium. Sed in nostro casu Episcopus non habet titulum aut bonam fidem; siquidem sciebat, aut saltem scire debebat, quòd dicta Ecclesia aut Ecclesiæ sint Exemptorum Cisterciensium, & ab ipsorum Generalibus visitentur, juxta Concilium Tridentinum Sess. 25. c. 20. adeoque potestatem nunquam habuit ejusmodi Ecclesias visitandi, nec sic eam unquam acquisivisse, aut pacificè, aut bono titulo possedisse censeri debet aut potest.

Ad præscriptionem requiritur bona fides, titulus, & pacifica possessio.

124. Imò licet bonâ fide sibi suasisset Episcopus, quod Concilium Tridentinum Sess. 7. de Reform. c. 8. aut Sess. 24. c. 9. aut Sess. 21. c. 8. ad visitandas ejusmodi Ecclesias jurisdictionem contulisset, hoc tamen ei non suffragatur, attento quod dictæ Ecclesiæ erant exemptæ, & quòd Episcopus nullum jus haberet ad eas visitandas, nec talis facultas ei à Concilio Tridentino locis citatis fuerat concessa, cum ea quæ ibi de Monasteriis exemptis statuuntur, solùm de sæcularibus non verò Regularibus, quæ Capitulis Generalibus & Visitatoribus subduntur, jux-

Augetur difficultas & solvitur.

ra Concilium Tridentinum Seſſ. 25. c. 20. intelligenda veniant, prout citatus Rodriq. manifeſtè probat loco citato, & plus conſtabit ex dicendis.

In uſu ſunt quæ per 100. annos neglecta non ſunt

125. Dico II. Quod ea, quæ apud Ciſtercienſes ſpatio centum aut ad minimum ſexaginta annorum, in toto Ordine per uſum contrarium neglecta non ſunt, vigore prædictarum Bullarum n. 105. adhuc cenſentur in uſu ſaltem habituali, cùm adhuc Ordo habeat jus utendi, licet non eſſent in uſu actuali, ſi nimirum actu non uteretur.

In Ordine toto. Ratio 1.

126. Dixi: in toto Ordine. Nam quemadmodum in Collegio paucorum, quando agitur de tuenda libertate, poteſt unus cæteris omnibus non tantùm negligentibus, ſed etiam in perditionem ejus conſentientibus, eam libertatem tueri, ita idipſum poſſunt alia Ordinis membra, maximè ſi plura ſint, ut ſunt præcipua, etſi alii ſint ſuæ libertatis incurii, ut docet Cockier p. 3. q. 26. *Ratio 2.* Præſertim cùm, ut inquit Rodriq. tom. 1. q. 8. a. 4. ſingulares perſonæ per contraventionem non poſſint renunciare Privilegio facto communitati, quippè quod omnes tangit, debet etiam ab omnibus approbari. Cap. *Quod omnes.*

Requiritur conſenſus Summi Pontificis.

127. Imò licet totus Ordo approbaverit, nondum tamen Epiſcopus in Ordinem juriſdictionem acquireret, ſiquidem neceſſariò ad hoc requiſitus Summi Pontificis abeſſet conſenſus,

ſine

sine quo Ordo non potest suo Privilegio renunciare, adeoque nec se Episcopo subjicere, foret enim idipsum in præjudicium Papæ, cujus interest multos habere sibi immediatè subjectos, juxta Abbatem in Cap. *Significâsti de foro competenti*. Cockier p. 1. q. 35. n. 4. & p. 2. q. 7. & p. 3. q. 34. Stephanum Aluinum c. 13. Laurentium Forerum thes: 25. & alios.

128 Quæres, quod si unicum duntaxat Monasterium Cisterciense concessis Ordini universo Privilegiis uteretur, an per usum illius Monasterii cæteris jus & Privilegia præservata censeri debeant? Respondet pro me Tamburinus affirmativè tom. 1. disq. 16. q. 14. n. 16. in cujus testimonium adfert duas recentes decisiones rotæ, de quo videatur Diana 3. p. tr. 2. Resol. 87. & 134. ad quod etiam collimant ea, quæ dicam Cap. 12. per totum.

Per usum unius Monasterii cæteris omnibus Privilegia conservantur.

129. Dico III. Specialiter Abbatem Aulæregensem esse in possessione & usu suæ exemptionis, cùm publicâ præfati Privilegii Capituli & Abbatis Generalis attestatione, & experientiâ palàm fiat omnibus eundem Abbatem injunctum sibi Vicarii officium, hactenus assiduè, sapienter, doctè & zelosè obiisse. Imò nec exemptioni per quemcunq; contrarium actum, si quis quomodolibet obvenit, aut obveniret, præjudicare posse sine expresso aut Capituli aut Abbatis Generalis, & Summi Pontificis consensu, juxta dicta. Et reliqua in contrarium

Abbas Aulæregensis est in usu suæ exemptionis.

Per contrarium actum nihil præjudicatur.

 atten-

exemptioni sine consensu Abbatis Generalis &c.

attentata nullius roboris esse nec momenti, quorum consensus tantùm abest, ut habeatur, cùm etiam severissimè à citato proximè celebrato Generali Capitulo Anno 1651. prohibitum sit, ne Episcopi locorum Ordinarij ad ullum cujuscunque jurisdictionis exercitium procedere permittantur.

Privilegia & potestas Abbatis Aulæregensis.

130. Dico 4. Authoritate Capituli & Abbatis Generalis, Abbatem Aulæregensem plenariam habere potestatem, omnia Monasteria, tàm Virorum quàm Monialium, per Boëmiam, Moraviam & Lusatiam visitandi, reformandi, Abbatum, Abbatissarum, Monachorum & Monialium, quorumcunque eorum officialium, & ipsis inservientium, mores inquirendi, corrigendi, emendandi, puniendi, instituendi, destituendi, &c. Libros rationum examinandi, approbandi, de numero competenti Religiosorum providendi, clausuram Monialium & Confessarios earum instituendi, destituendi, &c. à casibus absolvendi, Benedictionem Abbatialem quæ ab Episcopis locorum Ordinariis peti & acceptari prohibetur, impetrandi, Altaria fixa consecrandi, & generatim omnia, quæ à Vicariis Generalibus, imò ab ipso Generali Ordinis, si præsens esset, præstari & exerceri possent, præstandi & exercendi.

131. Quæ omnia à præfato Abbate hactenus practicari vidi, & ut ulterius practicentur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub Censuris Ecclesia-

clesiasticis, & pœnis consuetis servari jubentur. Unde nemini mirum videri debet, si pro tuenda Religionis suæ immunitate, & conservandis exemptionis privilegiis, præfatus Abbas, aut quicunque alii Ordinis Superiores, non obstantibus Ordinariorum Diœcesanorum inhibitionibus, aut quibuscunque censuris, ad solitos suæ jurisdictionis actus & exercitia intrepidè procedant. *Tollitur nonnullorum admiratio.*

CAPUT IX.

Qualiter intelligenda sit clausula in confirmatione Privilegiorum Cisterciensium posita: Quatenus sacris Canonibus & Decretis Concilij Tridentini non adversantur.

132. PIus IV. Privilegia contra Concilium Tridentinum abrogavit, aliique; Summi Pontifices Gregorius XIII. & Sixtus V. noluerunt ea confirmare, nisi in quantum Concilio Tridentino non sunt contraria, quod ipsum Gregorius XIII. in Bulla sua, Superna dispositione, & novissimè Innocentius X. modernus Summus Pontifex, in confirmatione Privilegiorum Ordinis Cisterciensis inseruit, omnia & singula dicti Ordinis Privilegia plenissimè confirmans appositâ clausulâ: *In quantum sacris Canonibus & Decretis Concilij Tridentini non adversantur.* *Proponitur ratio dicendorum.*

133. Dico igitur, Per supradictam clausulam: *In quantum sacris Canonibus & Decretis*

Con-

Exponuntur clausulæ, quatenus decretis & Canonibus Conc. Tridentini non adversantur.

Concilij Tridentini non adversantur, nil aliud intelligi, quàm quòd confirmentur Privilegia Cisterciensium, quæ sacris Canonibus & Decretis dicti Concilij non sunt contraria, & iis nimirum solùm decretis, quæ eorum Privilegia expresse irritant, per non obstantias quascunque in illis positas, ut expresse docet Rodriq. tom. 1. q. 18. a. 7. & tom. 3. q. 23. a. 5. Miranda tom. 2. q. 42. a. 3. Sa. V. *Gratia*. n. 26. La crux lib. 2 cap. 3. d. 5. & 6. Cockier lib. 4. q. 21. Quaranta in Bullario, V. *Privilegia Regularium*. & alii.

Objectio ex Concil: Tridentino.

134. Nec obstat huic conclusioni decretum Concilij Tridentini Sess: 25. de Regul. cap. 12. ubi habetur: *Hæc omnia & singula in superioribus decretis contenta observari sancta Synodus præcepit, in omnibus Coenobiis & Monasteriis, Collegiis & Domibus, quorumcunque Monachorum & Regularium, nec non quarumcunque Sanctimonialium Virginum ac Viduarum, etiamsi illæ sub gubernio Militiarum etiam Hierosolymitarum vivant, aut quocunque nomine appellentur, sub quacunque regula vel constitutionibus, & sub custodia vel gubernatione, &c. non obstantibus eorum & singulorum Privilegiis, sub quibuscunque formis verborum conceptis, aut mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus & regulis etiam juramentis, consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus.*

Solvitur.

135. Nam vi hujus decreti solùm revocantur

tur Privilegia Regularium, quæ nimirum sunt contraria iis, quæ in Sess: 25. de Regularibus decretantur, non verò ea quæ sunt contraria etiam iis, quæ in aliis Sessionibus Concilij Tridentini sunt statuta; nam ut rectè docet Sanchez lib. 6. disp. 22. n. 19. clausulâ positâ in fine, *Non refertur ad omnia præcedentia, quando omnium præcedentium non est ratio.* Ut est in casu nostro. Apud Forerum thesi 145.

136. Quæ generalis distinctio specialissimè notanda est ad tollendas contra Cisterciensium aut quorumcunq; Regularium Privilegia movibiles difficultates, cujus distinctionis veritas ex ipso Concilio citato sufficienter innuitur, ut benè notavit Rodriq. citatus art. 7. Nam ibi non dicitur, quòd Sancta Synodus præcipiat non obstantibus quibuscunque, &c. observari ea, quæ in superioribus Sessionibus, sed quæ in superioribus decretis sancita sunt, volens nimirum declarare, quòd decreta Concilij Tridentini Sess. 25. de Regul. solùm observentur contra Regularium adeoque etiam Cisterciensium Privilegia, non verò ea, quæ in aliis dicti Concilij Sessionibus Sancta Synodus observari præcepit, contra Cisterciensium aut quorumcunque Regularium Privilegia, si expressè in illis Sessionibus non revocentur. *Distinctio optimè notanda.* *Ratio distinctionis ex ipso Concilio.*

137. Dixi expressè, quia sicut Privilegia inserta in corpore Juris non derogantur sub generali derogatione, quod juxta diversos concludit *Ad tollenda hæc Privilegia.*

Hen-

Requiritur expressa revocatio. Henriquez tom. 1. lib. 7. c. 28. n. 9. & lib. 5. c. 31. n. 5. & juxta hunc Rodriq. loco cit. Ita si de Cisterciensium aut quorumcunq; Regularium Privilegiis non fiat specialis mentio, eadem nullatenus abrogantur; ità decrevit pro Cisterciensibus Bulla Gregorij XIII, confirmata à suprà citato Innocentio X. anno præterito, ubi dicitur, quòd nihil Privilegiis eorum derogetur, nisi ab eadem Sede Apostolica de derogatione Privilegiorum specifica & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat.

Objectio ex Bulla Pij 4. 138. Nec obstat Bulla Pij IV. revocatoria Privilegiorum, Exemptionum, Immunitatum, &c. concessarum in his, in quibus Concilij Tridentini statutis & decretis contrariantur; ex hujus enim constitutionis generalitate malè *Solvitur.* concluditur, omnia Regularium Privilegia esse revocata, quatenus ea quibuscunque decretis & Sessionibus dicti Concilij contraria sunt, sive de iis fiat expressa sive non expressa derogationis mentio, id enim apertissimè falsum est, ut patet in Sess. 23. c. 8. ubi statuitur, quòd statutis à jure temporibus sacri Ordines conferantur, quod tamen non derogat Privilegiis Regularium, ut docet Rodriq. citatus, cui addo Layman in Theol: morali lib. 5. tr. 10. c. 8. n. 8. Barbosa de Potest: Episcop. p. 2. Alleg. 17. de dubiis Regular.

Explicatur adjun- 139. Quod autem ibidem additur, ut unusquisq; à proprio suo Episcopo ordinetur, quod si ab

ſi ab alio promoveri petat, nullatenus id ei cujusvis generalis aut ſpecialis reſcripti aut Privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, hoc expreſsè derogat Privilegia Regularium, ita ſcilicet, ut Ciſtercienſes ab alio Epiſcopo extra Diœceſim, in qua Monaſteria ſita ſunt, ordinari nequeant, niſi ut ibidem additur, ejus probitas & mores Ordinarij ſui, id eſt, Prælati ſui, ut docet Rodriq. tom. 3. q. 24. a. 1. teſtimonio commendetur. *ctus textus Concilij Tridentini.*

Unde qui contrarium ſentiunt, ut inquit doctisſimus Rodriq. generalitatem Legum & conſuetudinum in ſuperficie contemplantur, & ad mentem Legislatoris minimè ſe convertunt. *Cenſura in contrarium ſentientes.*

140. Dicta igitur Bulla Pij IV. revocans Privilegia, quæ Decretis Concilij contrariantur, intelligenda eſt, ſecundum ipſa decreta, & intelligenda, reſtringenda, & extendenda ad terminos illorum decretorum expreſsè prohibentium & reſtringentium Privilegia in contrarium. Non verò extendenda ad ea, quæ non ſunt per illa decreta prohibita cum expreſſa derogatione Privilegiorum. *Explicatur Bulla Pij 4.*

141. Ratio horum duplex eſt. 1. Quia cauſa finalis dictæ conſtitutionis, eſt obſervantia dictorum Decretorum, cui locus eſt quoad ea, quæ in dictis decretis non revocantur. 2. Quia ſicut jus referens ſe ad aliquid, intelligitur ſecundùm illud, ad quod refertur. L. *in teſtam: ff. de condit: & demonſtrat.* Ita etiam hæc Bulla *Ratio 1. dictorum.* *Ratio 2.*

cum

cùm se referat ad decreta Concilij Tridentini, secundùm illorum decretorum terminos explicari debet, juxta quos, ut dictum est, Cisterciensium Privilegia non revocantur, nisi quæ cum expressa eorundem in Concilio Tridentino derogatione decretantur, quo modo etiam clausulæ reliquæ, quatenus scilicet Privilegia constitutionibus Summorum Pontificum non contrariantur, aut per eas non revocantur, intelligi debent.

Proponitur & solvitur quæstio. 142. Hic quæri potest, An Cistercienses in foro conscientiæ uti possint Privilegiis, si quæ essent expressè revocata per Concilium Tridentinum.

Affirmativè respondet Henriq. lib. 7. c. 24 in glossa lit. K. Rodriq. in quæst. Regul. tom. 1 q. 8. a. 9. Sanchez in summ. tom. lib. 5. c. 4. n. 16. Becca p. 4. cas. 38. Compend. Soc. JESU verbo *Concilium Trid.* §. 3. & alii. Quam etiam probabilem asserit Portellus in Dub. Regul. verb. *Privilegium*, n 64. Et ratio est, quia hoc Privilegium concessit Pius V. & licet Gregorius XIII. illa revocavit, quæ Pius V. concesserat, Concilio Tridentino contraria, ea solùm revocavit, vel pro foro externo tantùm, vel solùm revocavit constitutiones scriptas, non verò oracula vivæ vocis, quæ non sunt constitutiones. Unde stante hac opinione possunt Regulares ordinari in foro conscientiæ ante legitimam ætatem, ut affirmat Emanuel Sa, verb, *Religio* n. 56. apud Dianam citatum.

CA-

CAPUT X.

Utrum Exemptio Cistercienſium quoad ea, quæ propriè ad Monaſticam diſciplinam & obſervantiam ſpectant, ſit ſublata per Concilium Tridentinum?

143. RESpondeo negativè, & facilè probatur ex capite præcedente; cùm nullus in toto illo Concilio textus reperiatur, expreſsè huic exemptioni derogans, & contrarium communis uſus & contraria praxis tùm mendicantium, tùm non mendicantium probet, qui ejuſmodi juriſdictionem, quam aliàs Epiſcopi locorum Ordinarij exercerent, ſi ab iis ſublata non eſſet, quoad ſuos regulares imperturbatè vi ſuorum Privilegiorum exercent, quorum Privilegiis quia Ciſtercienſes via communicationis gaudent, ut patebit cap. 11. n. 149. eandem poteſtatem habent. Et certè cum Epiſcopis, ut conſtat ex dictis, jurisdictio ordinaria in Ciſtercienſes non amplius competat, eam non in Summum Pontificem, ſed in Abbates & Superiores Ordinum totaliter translatam eſſe, benè probant Tamburinus tom. 1. diſp. 15. q. 2. n. 4. Cockier & alij.

Exemptioni partiali Ciſterc. non obeſt Concil. Trid.

144. Ita quidem, ut hujusmodi juriſdictio Ciſtercienſium Abbatibus & Superioribus competat privativè, non verò cumulativè ad Epiſcopos, ut nimirum hæc non poſſint ſimul per

Jurisdictio Ciſterc. in ſuos competit privativè ad Epiſcopos.

Episcopos exerceri, utpotè quibus sua potesta in Ordinem sit abrogata, ideo ut licet Abbas suo deesset officio, jus tamen disponendi aut corrigendi non devolvatur ad Episcopos, sed ad proximum illius Abbatis Superiorem, juxta illud commune principium, quod jus corrigendi non transeat ad eum, qui negligentis ordinarius non est, de quibus videatur 3. p. c. 2. & 3. per totum

Præbenitur difficultati ex Concilio Trident:

145. Enim verò ne quoquo modo ex iis, qui per sæpè memoratum Concilium in Sessionem quintam præcedentibus Sessionibus & decreti circa regularium correctionem, eorùmque Monasteriorum visitationem, per clausulas derogatorias, non obstantibus quibuscunque, statu ta sunt, scrupuli suboriri possint, idem Concilium providè Seff. 25. de Regular: c. 20. mentem suam clarissimè manifestavit, inquiens.

Apponuntur verba Concilij Trid.

146. *Abbates qui sunt Ordinum Capita, & cæ teris prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subjecti, quibus est in alia Monasteria inferiora Prioratusvè legitima jurisdictio, eadem illa sibi sub jecta Monasteria & Prioratus suo quisque loco atque Ordine & officio visitent, etiamsi commendata exi stant; qui cùm Ordinum suorum Capitibus subsint declarat Sancta Synodus in iis, quæ aliàs de visita tione Monasteriorum commendatorum definita sunt non esse comprehensa: Teneantur quicunque prædi ctorum Ordinum Monasteriis præsunt, prædicti Visitatores recipere, & eorum ordinationes exequi Ipsa quoque Monasteria, quæ sunt Ordinum capita*

juxta Sanctæ Sedis Apostolicæ, & cujuscunque Ordinis constitutiones visitentur, Et quamdiu durabunt hujusmodi commendæ, Priores claustrales, aut in Prioratibus, conventum habentibus Superiores, qui correctiones & spirituale Regimen exercent, à Capitulis Generalibus, & ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur.

147. Ea propter indubitatum manet, hanc Cistercienſium Exemptionem ab Innocentio VIII. aliisque Summis Pontificibus concessam, quoad ea quæ ad Ordinis observantiam, visitationem & correctionem spectant, vi hujus decreti non tam esse abrogatam, quàm una cum reliquis Privilegiis Cistercienſium noviter & iteratò confirmatam, cum immediatè eodem loco expresſè Concilium decernat: Quod in *cæteris omnium præfatorum Ordinum Privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint & illæsa.* Ex quo *Conclusio ex dictis.* *Confirmatur ex Concilio Trid.*

148. Dico II. Integra Cistercienſium Exemptio ab Ordinariorum Episcoporum jurisdictione, non contrariatur Concilio Tridentino, ideoque per illud non est sublata. Hujus veritas generaliter probatur. Illa Privilegia non sunt contraria Concilio Tridentino, quæ ab eodem expresſè non derogantur, sed quod Cisterciensses quoad ea, quæ domesticam disciplinam & observantiam Ordinis, visitationes, correctiones spectant, &c. ab Ordinariorum Episcoporum jurisdictione sint exempti, nec ad subsidium chari- *Integra Cistercienſium exemptio probatur ex dictis.*

tativum, collectas, procurationes, aut quascunque exactiones & angarias cogi, aut ratione delicti, aut rei alicubi existentis, aut contractu alibi initi, juxta citata tàm ante quàm post Concilium Tridentinum Summorum Pontificum Privilegiorum indulta, apud Episcopum conveniri non possint, ab eodem Concilio expressè nusquam leguntur abrogata, imò expressè confirmantur, ut patuit num. præcedenti ubi omnia Regularium in cæteris Privilegia personas, loca & jura concernentia, firma & illæsa esse jubentur, ergo nec sublata censeri debent. Quæ omnia ita clara sunt, ut amplius controverti non debeant, ejusmodi enim exemptio ita nota est notoreitate juris & facti, ut nemo prætendens ejus ignorantiam ulterius audiri debeat. Imò licèt Cistercienses jure communi non essent quoad hæc exempti, nequaquam tamen ulterius dubitari debet, quin hi ipsi juxta allegata desuper Privilegia directè, & per communicationem præterea Privilegiorum mendicantibus concessorum indirectè ab Ordinariorum jurisdictione eximantur. Quæri potest.

CAPUT XI.

An & undenam Cisterciens. Privilegio communicationis cum mendicantibus & non mendicantibus, & qualiter eo gaudeant?

149. Dico I. Cistercienses cum mendicantibus & omnibus aliis Ordinibus in

Privilegiis communicant. Ita docet Cockier p. 1. q. 17. n. 16. La Crux lib. 2. de Stat. Relig. c. 4. Forerus thes. 27. c. 2. Rodriq. tom. 1. q. 55. art. 7. & alii.

150. Indulsit hoc communicationis Privilegium generatim Pius V. anno 1567. *Ex supernæ vocationis.* juxta citatos, quod si forsan revocatum censeri posset à Gregorio XIII. in Bulla quadam *In tanta negotiorum.* Anno 1573. ab eodem tamen anno sequenti 1574. restitutum est, *Supernâ dispositione*, ut patuit suprà. Idem statuerunt Eugenius III. in Constit. *Sacrosancta*. Clemens IV. *Parvus*. Benedictus XII. *Fulgens*. Pius IV. *In eminenti.* Pius item V. *Ex innumeris*, quæ citata videantur in Bullario Rom. fol. 288.

Cisterc. communicant Privilegia mendicantium.

151. Ad ostendendam autem individualem Cisterciensium in Privilegiis aliorum Religiosorum communicationem, plurimum proderit sequentem constitutionem Gregorii XIV. ad annum 1591. 6. Septemb. datam, legere & intelligere. Hic enim postquam singula eorum Privilegia motu proprio ex certa scientia & plenitudine potestatis in perpetuum iterato confirmâsset.

152. *Insuper omnia*, inquit, *& singula Privilegia, prærogativas, concessiones, jurisdictiones, antelationes, favores, facultates, declarationes, dispensationes, conservationes, immunitates, exemptiones, libertates, præeminentias, & indulta, cujusvis generis existentia, nec non indulgentias etiam plenarias,*

Bulla communicationis Privilegiorum pro Cisterciensibus.

 &

& peccatorum remissiones, cæterasque gratias spiri-tuales & temporales, tàm eidem Cisterciensi Ordini ejusque Capitulo & Abbati etiam Generali, ac qui-busvis illius, etiam quatuor primis Abbatibus, sci-licet Claravallis, Morimundi, Pontigniaci, & Fir-mitatis, quàm etiam ejusdem Ordinis Congregati-nibus in Regnis Hispaniæ, Portugalliæ, ac quibusvis aliis, eorùmque & aliorum tam virorum quàm mulierum Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, Locis rebus & bonis, nec non Capitulis eorum, etiam Ge-neralibus eorum, Definitoribus, Abbatibus, & aliis eorundem Superioribus, Prælatis, Officialibus, Mi-nistris, Monachis, Novitiis, Fratribus, & Conver-sis, ac personis quibuscunque, tàm in urbe quàm quibuscunque mundi partibus consistentibus, etiam illorum & illarum intuitu, aut aliàs quomodolibet & sub quacunque forma & expressione verborum concessa & concedenda, ac quibus de jure, seu con-suetudine vel Privilegio aut concessione Apostolicâ, Regiâ, Imperiali, Archiepiscopali, Episcopali, in genere vel in specie, ac tam conjunctim quàm divi-sim, etiam per viam communicationis, & extensio-nis, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, & poterunt in futurum, omnia tam men-dicantium quàm non mendicantium, sive quæ ante sive quæ post hanc Bullam alicui Ordini conces-sunt aut concedantur, etiamsi talia sint vel fuerint quæ specialem, & individuam requirerent mentionem seu in præsentibus de verbo ad verbum insertionem

s

seu in particularem concessionem, ad prædictam Congregationem S. Bernardi in Italia, illiusque Monasteria, Domus, Loca, res & bona, nec non præsidentem, Definitores, Visitatores, & Capitula, Abbates, Priores, Officiales, Ministros, Monachos, & singulas personas, ita quod dictæ Congregationis Sancti Bernardi Monasteria, Domus, Loca, Conventus, & Capitula etiam Generalia, Præsidens, Definitores, Abbates, Priores, Officiales, Ministri, Monachi, Novitii, Fratres, Conversi, Novitii oblati, & aliæ illius singulares personæ, ac eorum res ac bona, sub eorum cura, & secundùm ejusdem Congregationis instituta, nunc & pro tempore viventes & existentia, præmissis omnibus & singulis, atque pariformiter & absque ulla poenitus differentia; Perinde ac si illis & eorum singulis principaliter & expressè, ac nominatim, & non ad instar, concessa fuissent (in quantum eidem Congregationi expediat, ejusque gubernio, Privilegiis, constitutionibus, & definitionibus non adversantur) uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè possint & valeant, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò extendimus, illaque omnia & singula præmissa, eis, & eorum cuilibet, eisdem, auctoritate & tenore similiter perpetuò communicamus & concedimus.

153. Hoc Communicationis Privilegium habetur expressum in Bullario Romano fol. 540. & authentico sigillo communitum, se vidisse testatur Rodriq. tom. 1. q. 55. art. 7. Adjiciens nullum esse Decretum in Conciliis gene- *Præmissis non obstat Concilium Trid.*

 ralibus,

ralibus, neque in Concilio Tridentino editum, prohibens hujusmodi communicationem.

Effectus hujus communicationis.

154. Unde colligo, omnia tàm mendicantium quàm non mendicantium Privilegia (quantum intellige ea Cisterciensi Ordini expediunt, & ordinationibus illius non contrariantur) sive quæ ante, sive quæ post hanc Bullam, ullo unquam tempore concessa sunt, aut concedentur, vigore illius Bullæ in Cistercienses derivari, ita ut hæc communicatio idem operetur, ac si quælibet quorumcunque Ordinum Privilegia illis principaliter, specialiter, expressè, & nominatim, & non ad instar, concessa fuissent. Quod ipsum benè notandum erit in dicendis. Ad præsens intentum meum sufficit eâ, quâ mendicantium Ordines eximuntur à potestate Ordinariorum, eadem vi Cistercienses, licet specialiter propriis Privilegiis non eximerentur, exemptionem potiri.

Cister. tiens. etiam vià communicationis eximuntur.

CAPUT XII.

An Cistercienses possint Exemptionis suæ Privilegio renunciare?

Cistercienses non possunt renunciare suo juri exemptionis sine licentia Papæ.

155. Dico, Nemo Cisterciensium Abbatum potest publicè aut privatim ullo modo Privilegiis suæ libertatis aut exemptionis derogare, cedere aut renunciare, sine licentia Ordinis totius, & expressa voluntate aut consensu Summi Pontificis.

156

156. Probatur ex Cap. *Cum tempore de Arbitris.* Cap. *Cum olim.* 2. *de Privilegiis.* & L. *Si quis. de Conſcribendo.* Ita Suarez lib. 6. de Votis, n. 7. c. 11. & lib. 8. de Legibus, c. 33. n. 2. La Crux lib. 2. de Religion. cap. 3. art. 2. dub. 2. Ratio primi ſpecialis eſt, ex Bulla Gregorii XIII. ubi expreſsè habetur, quod nulla Privilegia abrogata ſint, aut abrogata cenſeri debent, ſub quibuscunque clauſulis, niſi præterquam quod de toto tenore expreſſa derogationis mentio fieri debeat, eadem abrogatio, ſuſpenſio, &c. aliaque præmiſſa de Ciſtercii, aliorumque quatuor primorum Abbatum conſenſu facta fuerint, videatur ipſa Bulla ſup. c. 7. *Ratio ſpecialis.*

157. Ratio concluſionis generalis eſt, Quia Exemptio hæc cùm ſit favor, non unius tantùm Religioſi aut Abbatis, ſed Religionis univerſæ, & præcipuè Summi Pontificis, cui intereſt hanc exemptionem inviolatam ſervare, ita fit ut ei non poſſit privatus renunciare etſi vellet, ut conſtat ex dictis Cap. *Cum tempore.* & Cap. *Diligenti. de foro competenti.* niſi & totus Ordo conſentiat, ita enim quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Cap. *Quod omnes.* Denique niſi Ordini conſentienti Sedes Apoſtolica, quæ ſibi ordinariam in Ciſtercienſes reſervavit juriſdictionem, conſentiat. *Ratio generalis.*

158. Ex quibus infero. Si Abbas Ciſtercienſis ad Tribunal Epiſcopale citetur, non tenetur comparere, hæc enim citatio eſt ipſo jure irrita, *Illatio 1.*

cum sit à Judice non competente & contra notoriè exemptum, ut docent diversi, apud Rodriq. tom. 2. q. 64. art. 7. Quod si tamen ex negligentia compareat, & sese subjici patiatur, non allegans suam exemptionem, non idcirco eam perdit, sed tueri se potest jure, quod competit Ordini universo, & præcipuè Summo Pontifici (contra quem non præscribitur nisi centum annis, juxta Panormitanum in Cap. *Ad audientiam n. 2. de Præscript.* Felinum Cap. *Cum olim. n. 3. tit. eodem.* & in Cap. *Significâsti n. 4. de Foro competenti.*) eo ipso quòd sibi Cisterciensium Ordinem immediatè subjecerit, & se ordinarium Judicem eorum constituerit, ut patet ex cit. suprà Privilegiis, & rectè docent cit. Doctores, quibus addo Cockier lib. 2. q. 7. n. 20. & q. 50. n. 3. & 4.

Illatio 2. 159. Unde etiam sequitur, Licet Abbas Cisterciensis consentiret Episcopo, ut in sua Ecclesia exempta convocet processiones, celebret divina, Missas publicas, & Ordines conferat; non tamen per hoc Privilegio suo videtur renunciare, quo ab Episcopo prædicta fieri prohibentur, prout Cisterciensibus concessit Urbanus III. infrà cap. 14. citatus, & Leo X indulsit Camalduensibus, & refertur in Compend: Cisterc: verb. *Divino.* §. 4. apud Rodericum cit. Ratio est, quia nil per illum præjudicari potest juri Pontificio, cui immediatè Monasteria Cisterciensium sunt subjecta.

160. Confirmatur. Non potest Clericus sine proprii Episcopi licentia se alieno Episcopo subjicere, ejus jurisdictionem derogare, juxta Cap. *Significâsti. de Foro compet.* Ideo quia nocet juri & favori Episcopi; ergo nec Cisterciensis Religiosus aut Abbas, imò nec authoritate suâ Capitulum Provinciale suæ exemptionis Privilegio renunciare potest sine consensu totius Ordinis, aut Capituli Generalis; nec Ordo sine consensu Sedis Apostolicæ. Quod ita verum est, ut rectè docet Rodriq. tom. 2. q. 64. art. 10. ut Regularis nec in una causa possit renunciare exemptioni etiam indirectè, cùm causa sit indivisibilis in suum simulque proprii Abbatis præjudicium, juxta Socinum ad Cap. *Significâsti. num.* 42. & alios. *Confirmantur dicta.*

CAPUT XIII.

An vi hujus Exemptionis Cistercienses teneantur ad jus Reverentiale Episcopis debitum?

161. AD quod respondet Rodriq. tom. 2. q. 64. art. 9. & alii generaliter negativè, maximè si exemptio sit plena, ut est Cisterciensium, ut patet ex allatis. Excipe tamen nonnullos casus, qui hâc formulâ in Privilegio exemptionis exprimi solent: *Salva Ecclesiæ* N. *Canonica Reverentia*, ea enim verba significant, Abbatem non obstante suâ exemptione, cedere debe- *Jus reverentiale Episcopis debitum.*

debere locum, ut Episcopus eum præcedat, etiam in loco exempto, ut docet Forerus thesi 24. ex citato Rodriq. Alvino c. 13. n. 2. & aliis.

Ostenditur ex Cap. Generali Cisterc. 162. His consonat illud quod anno 1651. in Generali Cisterciensium Capitulo iteratò renovatum & statutum fuit, ut nimirum Dioecesanis Episcopis Monasteria nostra sub adventu suo ingressuris debitus honor & solennis receptio exhibeatur, prout in libro usuum præscribitur, ad exercitium tamen jurisdictionis cujuscunque in iis procedere minimè permittantur.

CAPUT XIV.

Utrum Cistercienses vi suæ Exemptionis sint liberi à Conventibus Synodalibus eorumque Legibus?

163. ADvertendum. Conventus Synodales, quos Episcopi celebrant, duplices esse. Alii sunt Provinciales, in quibus præest Metropolitanus, & plures Episcopi conveniunt. Alii Dioecesani, quibus præsidente Episcopo, Parochi & alii Clerici subditi Episcopo suffragia ferunt.

Cisterciens. ad Synodos comparere non tenentur, nec ratione sui. 164. Dico. Ad Synodum Dioecesanam, Cistercienses eorumque Prælati, nec ratione sui, nec ratione populi ipsis subjecti comparere tenentur, ita constat ex dictis cap. 6. ex Constit. Innocentii IV. constit. *Cum à vobis.* Alexandri IV. const. *Mentis.* Innocentii VIII. *Ad Romani*

&

& aliorum, adeoque etiam à Legibus Diœcesanis, liberi sunt, eo ipso quod jurisdictioni Episcoporum Diœcesanorum nullatenus subjaceant. Et per se Synodum indicere possint, imò juxta præscriptum Concilij Tridentini Sess. 24. de Reform. c. 2. indicere teneantur. Nec aliter ejusmodi Legibus obligantur, quàm ut circa usum & observantiam illarum Legum scandalum evitent, ut docet Suar. lib 4. de Legibus. c. 20. n. 8. & tom. 8. disp. 5. sect. 4. n. 4. Salas disp. 14. n. 85. Azor tom. 1. lib. 5. c. 25. q. 4. Aut nisi ratione populi non exempti quibus in cura animarum præsident, & quorum intuitu per se vel per Syndicum suum venire teneantur. Cockier lib. 4. q. 19. n. 5.

165. Dixi *Populi non exempti*, quia si populus simul exemptus fuerit, non tantùm non venire tenentur, imò nec inviti compelli, nec ad onera Diœcesana cogi possunt, nisi per expressum jus novum (quod nullibi reperitur) huic Privilegio fuisset derogatum, ut docent supra citati. *Nec ratione populi exempti.*

166. Hoc Privilegium Cisterciensibus specialiter & manifestè concessum est ab Urbano III. *Nullus*, inquit, *vos*, scilicet Cistercienses, *vel Fratres vestros, ad Concilia, Synodos, aut aliquos forenses Conventus ire compellat*; imò ibidem inhibet, *Ne ad Domos vestras accedat causâ Ordines conferendi, Chrisma conficiendi, causas tractandi, seu aliquos Conventus publicos convocandi.* A *1. Ex Privilegio proprio.*

Pio

Pio II. anno 1459. conceditur, ne Abbates ratione Parochiarum Monasteriis annexarum seu incorporatarum, quamdiu per Vicarios perpetuos reguntur, interesse teneantur, vigore cujus Privilegii cùm Abbates Cistercienses in Diœcesi Constanciensi ad Synodum vocarentur, non comparuerunt, prohibente idipsum Generali Cisterciensium.

2. Via communicationis. 167. Idipsum Cisterciensibus obvenit vi communicationis Privilegiorum cum Præmonstratensibus, quibus Joannes Pontifex XXII. concessit, ut Prælati ejusdem Ordinis, si forsan eos à Diœcesanis citari aut vocari contigerit, coram eis seu in ipsis Synodis comparere non teneantur, nec inviti compelli possint.

Objectio solvitur. 168. Nec obstat quod ibidem additur teneri comparere Canonicos ejusdem Ordinis, qui curam animarum exercent, id enim duntaxat intelligendum est de iis Ecclesiis, quæ exemptæ non sunt, aut non pleno jure dicto Ordini subjectæ, sed sæculares, ubi v. g. præsentatio solùm spectat ad Abbates, institutio verò & collatio ad Episcopos, ut docent alii cum Forero thesi 37. c. 2. Eodem modo intelligi debet illud Concilii Tridentini Sess. 24. c. 2. ubi dicitur, quod etiam exempti omnes interesse deberent, ibi enim expressissimè excipiuntur ij, qui generalibus Capitulis subduntur; nec jubentur iisdem interesse ratione populi exempti, sed Parochiarum non exemptarum, juxta Barbosam *Confirmatur ex Concil. Trid.*

cum

cum aliis, quos refert ad Cap. dicti Concilij n. 27. quod & præsens praxis defacto docet.

169. Debent tamen Cisterciensium Abbates sicut etiam Episcopi, juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 2. aliquem Metropolitanum semel eligere, cujus Synodo Provinciali intersint, & quæ ibi decreta fuerint, observare & observari faciant, salvâ tamen eorum exemptione, ut docet cit. Forerus thes. 36. *Cisterciens. Metropolitanum eligant juxta Concil. Trid.*

170. Dicitur *Observari faciant*, non quidem à Regularibus, quia hos decreta Synodalia minimè ligant, sed à populo: quamvis in casu negligentiæ à Metropolitano compellendi non sint, juxta declarationem Cardinalium, in Cap. citatum.

171. Quod si igitur, ut cum aliis docet Quaranta verb. *Concilium Provinciale n.* 3. ejusmodi exemptos, ut sunt Cistercienses Abbates, ad Synodum Provincialem vocari contigerit, eos vocari tanquam Episcopos, primumque locum post Episcopos occupare, cum suffragio decisivo, eorumque sicut Suffraganeorum Episcoporum debere fieri mentionem in decretis. Cæterùm eos vice trium fungi, nimirum Abbatis in Monasterio erga Monachos, Prælati seu Antistitis erga populum, & Domini jurisdictionis temporalis, Civilis seu mixtæ erga Laicos, reliquis verò Prælatis inferioribus omnibus tanquam potiori jure, honore & prærogativâ præcellentes adeoque præferendos. Ubi observa *Qualiter Cisterciens. Abbates ad Synodum Provincialem conveniunt.*

juxta

juxta Lamas 4. p. cap. 3. quòd Abbates apud Græcos fuerint Archimandritæ in Concilio Chalcedonensi & Constantinopolitano, & usque ad Concilium Tridentinum vocati sunt ad Concilia generalia & nationalia, cum votis & suffragiis decisivis.

Cisterciens. exempti à Cathedratico. 172. Hinc infero I. Cistercienses non teneri ad jus Cathedraticum seu Synodaticum Diœcesanis offerendum. Ratio est, quia hæc dantur in Synodo & in recognitionem subjectionis erga Episcopum Diœcesanum, cui quia subjecti non sunt Cistercienses, iisdem illud nec dare tenentur, nec ut dent compelli debent.

A subsidio charitativo. 173. Infero 2. Liberos esse à subsidio charitativo tùm vi propriæ exemptionis specialiter concessæ ab Innocentio VIII. Gregorio X. Gregorio XIII. & confirmatæ ab Innocentio X. Tùm etiam vi communicationis Privilegiorum, quibus Monasteria exempta Ordinis Sancti Hieronymi in Hispania ad hujusmodi subsidium non tenentur, ex concessione Gregorij IX. & ex facta à Pio V. in favorem mendicantium, amplissimâ exemptione utriusque sexûs, ab omnibus qualibuscunque exactionibus & tributis.

Idem est de Cisterciens. Parochiis. 174. Infero 3. Parochiæ & Capellæ Monasteriis annexæ, ad id etiam non tenentur, qualiter judicatum fuisse in facti contingentia, pro annalibus redditibus cum onere Missarum relictis apud Ecclesias Fratrum minorum refertur apud

apud Rodriq. tom. 2. q. 66. art. 1. & 2. Et constat specialiter pro Cisterciensium exemptis & pleno jure iis subjectis Ecclesiis ex concessione citatorum Pontificum.

175. An autem Abbates, à Clericis sui territorij, tale subsidium exigere possint, si necessitas esset. Affirmativè resolvit Barbosa de Officiis & potestate Episcoporum p. 3. alleg. 87. num. 17.

176. Hic quæri posset, an Cistercienses Imperatoribus, Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Officialibus, aut quibuscunque aliis Laicis, collectas, talias, decimam, vigesimam seu centesimam suorum bonorum & proventuum permittere, solvere, aut in solutionem consentire, aut quamvis aliam quantitatem, portionem aut quotam ipsorum proventuum aut bonorum æstimationis vel valoris ipsorum sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii, vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo vel quæsito colore dare possint?

177. Resp. Id sub excommunicatione latæ sententiæ fuisse probibitum à Bonifacio VIII. const: *Clericis Laicos*, si fiat absque expresso consensu Sedis Apostolicæ; ita scilicet, ut ab excommunicationis sententia Laici, & ab interdicto Clerici absolvi non possent, præterquam in mortis periculo, sine ejusdem Summi Pontificis expressa licentia, cùm, ut inquit Pontifex

F ibi-

ibidem, tam horrendum sæcularium potentatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire, nostræ intentionis existit.

CAPUT XV.

An & qualiter Cistercienses obligantur ad præstationem decimarum?

Cistercienſ. exempti sunt à decimis.

178. Quæritur, Utrum Cistercienses liberi sint à præstatione decimarum? Respondeo 1. juxta jus Canonicum Cap. *Ex parte.* Cap. *A nobis.* versu *Nisi ad præstationem de Decimis.* qui speciali Privilegio sunt exempti, nec de veteribus, nec de novis prædiis decimas solvunt. Qualium sunt Cistercienses; qui vel viâ communicationis, juxta diversa diversis Ordinibus concessa Privilegia, citata à Rodriq. tom. 2. q. 45. art. 4. Tambur: tom. 1. disp. 15. n. 18. à decimarum exhibitione eximuntur, vel etiam ex Privilegiis specialiter ipsis concessis, tùm ab Honorio III. const. *Cum Abbates.* tùm à Martino V. const. *Militantis Ecclesiæ.* anno Pontificatûs sui 7. Non Kalend. Octobr. Romæ. Nam cùm ipsis sit indultum, ut de novalibus quæ propriis sumptibus excolunt, sive de ortis virgultis, & piscationibus suis, vel de eorum animalium nutrimentis, nullus ab eis decimas exigere aut extorquere præsumat, quidam tamen, ut loquitur Pontifex, perverso intellectu conficto dicentes, quòd hæc non possint, nec debeant

beant intelligi nisi de his, quæ sunt ante Concilium Generale acquisita. Ideoque ipsos & dictum Ordinem, ac Monasteria dicti Ordinis, grangiasque in genere & specie super his multiplici vexatione fatigant.

179. *Nos igitur, &c: Mandamus quatenus dictum* (scilicet Cisterciensem) *Abbatem, & omnes & singulos Abbates, Priores, Abbatissas, & omnia & singula Monasteria, & singulares personas dicti Ordinis, præsentia, & futura; ubicunque pro tempore existentia; à præstatione decimarum, tàm de professionibus habitis, & tàm de novalibus, sive ante sive post Concilium hujusmodi acquisitis ac acquirendis, quæ propriis sumptibus excolunt, seu excolent, quàm alias quomodocunque vel qualitercunque excolantur, ac etiam de illis possessionibus, de quibus aliquas hactenus percepit, nec non ortis virgultis & piscationibus suis, ac de animalium suorum nutrimentis, singuli vestrum omninò serventur immunes.*

180. Quæ omnia & singula in specie Honorij III. & Martini V. Summorum Pontificum indulta, confirmavit Sixtus IV. const. *Dispositione divinâ.* 6. Calend. Octobr. Pontificatûs sui anno 12. supplens omnes & singulos defectus, si qui forsan in iisdem intervenerint, non obstantibus quibuscunque. Gregorius autem Papa X. const. *In vestitu deaurato.* de consilio tredecim Cardinalium universas personas Ordinis, Monasteria, loca & bona ipsius, ac Ordinem ipsum, à solutione decimarum, seu alterius cu-

 juslibet

juslibet executionis, quocunque nomine censeatur, vel quantumcunque generaliter sub quavis forma verborum exigatur, eximit, & irritas declaravit quascunque censuras in contrarium, si quæ occasione hujus in Religiosos, eorum Monasteria, & bona, à quopiam ferantur.

Generalis exemptio Cisterciens. à decimis.

181. Dico ergo. 1. Cistercienses liberos esse à solutione decimarum ex rebus quibuscunque immediatè ad Monasteria sua spectantibus. Quod Privilegium quia reale est, prædia, agri, aut fundi, transeunt cum eodem Privilegio ad Colonos, ut patet, tùm legentibus Privilegia Sixti V. concessa Ordini S. Hieronymi apud Rodriq. tom. 2. q. 45. art. 4. Et concessionem factam Societati JESU, ut habetur in ejusdem compendio titulo *Decimarum exemptio.* § 15. tùm etiam intelligentibus præfata indulta supra citata Honorij III. Urbani V. & Sixti IV. Cisterciensibus specialiter concessa, atque ita semper decisum esse Romæ in favorem Societatis & Colonorum, testatur citatus Rodriq. loco cit. & ut refert Henriq lib. 7. de indulg. cap. 27. n. 7. ab executoribus Summi Pontificis executioni mandatum fuit. Citatis Authoribus addo Dianam, tract. 1. de Immun. Eccl. Resol. 26. Tambur. tom. 1. disp. 15. n. 32.

182. Dixi in conclusione *Immediatè*, quia si habeant conductum bonum, quod ad solutionem decimarum obligatur, idipsum sub onere decimarum habent, ut constat ex Cap. *Dilecti, de decimis.*

183.

183. Ex quibus colligit citatus Rodriq. Quod si Monasterium exemptum, qualia sunt Cisterciensium, habeant terras, vineas, hortos, in loco alienæ Parochiæ, Coloni qui conducunt ejusmodi loca, tenentur decimas spontè solvere Monasterio exempto, non autem Parocho aut Episcopo; quia Privilegium est reale, quod cum usufructu agri jure communi transit in Colonum, juxta glossam *In Clementin.* 1. versu *Ad excolendas. de decimis.* *Corollarium.*

184. Colligitur 2. Cùm exemptio hæc sit Religioni concessa, si ex negligentia, ignorantia aut omissione Regulares exempti ea non uterentur, etiam per aliquos actus contrarios non præjudicant juri suo vi talis Privilegii obtenti, nisi legitimum præscriptionis tempus, spatium scilicet centum annorum, juxta Privilegium Eugenii IV. Bona fides & titulus, de quibus suprà, intervenerint. *Non præjudicat huic exemptioni unius aut aliquorum negligentia.*

185. Dixi *Omnes*, quia licet in uno Monasterio in usu non esset, per usum aliorum Monasteriorum illi jus suum præservatum censeretur, ut docui ob rationes superiùs adductas. Undè si in foro externo sese ab ejusmodi præstatione Monasterium liberare non posset, in conscientia tamen intermissas reddere non teneretur.

186. Dico 2. Cistercienses, quas ex veteribus Parochiis sibi pleno jure subjectis decimas percipiunt, easdem ex novalibus plenè subjectis, *Ex quibus Cisterciens. be-*

beant jus percipiendi decimas. ex quibus aliàs non perceperunt, servatâ proportione, percipere possunt, juxta indultum Innocentii IV. Alexandri IV. & Urbani IV. Bonifacij VIII.

CAPUT XVI.

An teneantur Cistercienses ad contributionem pro Seminariis?

187. Hic quæri solet, an Cisterciensium Monasteria teneantur ad contributionem pro Seminariis, quæ ab Episcopo taxari debet, juxta decretum Concilii Tridentini Sess. 23. c. 18.

Beneficia Monasteriis annexa exempta sunt à contributione pro Seminariis.

188. Respondeo, non obligari juxta Privilegium concessum à Pio V. omnibus Monasteriis mendicantium, quo gaudent Cistercienses, ut non possit ab iis amplius exigi portio, quam Seminario legitimè contribuere tenebantur ea beneficia, quæ iisdem Monasteriis postea sunt unita, eò quòd beneficii status translatione eorum sit mutatus. Ita Congreg. Cardinalium apud Forerum cit. Cockier lib. 4. q. 11. & 42. Quod ipsum in Austriæ ac Styriæ Monasteriis inviolabiliter & imperturbatè servatur.

A potiori.

189. Imò licet hujusmodi Privilegium non adesset, nondum tamen ad id obligarentur Abbates, qui aliquos in studiis Monasterii sumptibus alunt, vel qui ad Ordinis Seminaria, ad commune Ecclesiæ bonum promovendum contribuunt.

tribuunt. Ita non minus laudabiliter quàm fructuosè quatuordecim Cisterciensium Monasteriorum in Boëmia, Moravia, & Lusatia existentium Abbates & Abbatissæ sub visitatione Reverendissimi Domini Jacobi Martini de Brabeck, suprà memorati Abbatis Aulæregensis Visitatoris & Vicarii Generalis, Seminarium ad Sanctum Bernardum nuncupatum Pragæ, factâ cum Seminario Pragensi Eminentissimi ac Celsissimi Principis Cardinalis ab Harrach, nec non DD. Benedictinorum ac Præmonstratensium Seminario confœderatione, unanimiter erexerunt, ubi tùm omnes ex præfatorum & aliorum Monasteriis congregati Religiosi, Familiares & Convictores, tùm dicti Eminentissimi Principis Alumni Ecclesiastici, in ejusdem Seminario Philosophiam & Theologiam sub eorundem & aliorum Ordinum Professoribus assiduè frequentant, habitisque publicis disputationibus palàm faciant omnibus, quantus ex literario illo diversorum exercitio fructus emanet, cùm etiam alii Parochi, Decani & Ecclesiarum Rectores, non cum exiguo Regni Boëmiæ emolumento ad salvandas fidelium animas, & convertendas infidelium mentes, indefesso studio desudant, nec non etiam Cisterciensium Sacra Religio diversos ex iisdem Abbates, præter alios in præsentiarum quatuor venerando agnoscit, & agnoscendo veneratur. Quorum primus cum sit Reverendissimus Dominus

Studium Generale Cisterciens. in Boëmia in Seminario S. Bernardi Pragæ.

Jacobus Martini de Brabeck, Aulæregensis & Zarensis Monasterii Abbas, & Cisterciensium per Boëmiam & adjacentes Provincias Visitator & Vicarius Generalis, Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliarius, Vir Principibus charus, affabilis omnibus, Religiosorum & Studiosorum Pater & Promotor singularissimus. Item Reverendissimus Dominus Laurentius Scipio, Celeberrimi Monasterii Ossecensis Abbas, assiduus Monasterij sui Restaurator, nec non Religionis & rei Literariæ Fratrumque suorum amator eximius. Ac denique Reverendissimus Dominus Joannes Salix, Celeberrimi Monasterij Wellhradensis Abbas, Moraviæ Primas, & Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius, nec non Reverendissimus Dominus Georgius Wendschuch, Celeberrimi Monasterij Altovadensis Abbas, in scientia & pietate regularique observantia decorem specialissimè observantes Domus DEI. Hos non tàm ad promovendum rei literariæ bonum exhortatos velim, cùm spontaneo conatu idipsum manifestè desiderare dignoscantur, quàm solum indies Divinam Majestatem imploro, ut eosdem ad majus S. Ordinis emolumentum, cum reliquis ejusdem S. Ordinis dicti Regni Abbatibus egregiè ad id indefesso studio collimantibus, in plurimos annos salvos & incolumes conservet & tueatur.

Votum Authoris.

ELU-

ELUCIDATIO JURISDICTIONIS CISTERCIENSIUM, Abbatis & Capituli Generalis, Provincialis & Conventualis.

PARS SECUNDA.

190.

QUoniam ablata ab Episcopis Locorum Ordinariis jurisdictio in Cistercienses, non in Summum Pontificem, sed in Superiores dicti Ordinis translata est, ut docet Rodriq. tom. 2. q. 63. Tamburinus tom. 1. disp. 15 q. 2. n. 2. Cockier, Sayrus, Barbosa, & abundè constat ex iis, quæ circa eorundem exemptionem in præmissis adducta sunt, hic, quænam ad eorum jurisdictionem spectant, methodicè elucidanda veniunt. 1. De potestate Capituli & Abbatis Generalis, Patrum Definitorum, item Capituli Provincialis & Conventualis; ac demum Parte tertiâ specialius de quorumcunque Cisterciensium Abbatum eorumque Vicariorum potestate ac nonnullis jurisdictionis actibus erit agendi locus.

Propositio sequentium.

CAPUT I.

De Potestate Capituli Generalis quoad vim condendi Leges & Statuta.

Definitur Capitulum Generale.

191. CApitulum Generale est Congregatio Abbatum aut Prælatorum jurisdictionem habentium privativè ad Episcopos locorum ordinarios, quæ alio nomine Synodus dicitur, in quo omnia tractantur, quæ ad eorum officium spectant, ut faciliùs perficiantur, & ea, quæ correctione, emendatione & reparatione indigent, moderentur, abusus tollantur, consuetudines bonæ, Canonum observationes introducantur, & quæ juxta regulam præscribuntur, accuratè serventur.

Exponitur finis Capituli Generalis.

192. Ex quibus collige finem hujusmodi Capituli, ut nimirum juxta antiquorum Patrum vestigia, vigor regularis observantiæ, fraterna charitas, & diuturna cohabitantium fratrum in unitate spiritus concordia inter Religiosos conservetur, defectus corrigantur, virtutes excolantur, nec non controversiæ, si quæ in Ordine subortæ fuerint, decidantur, aut etiam ne detur quibuscunque etiam Generalibus aut Prælatis impunè peccandi locus, quò minùs & ipsi dignam de suis excessibus, si qui obvenirent, pœnitentiam ferant, successoribus in tutelam, hoc supposito.

193. Dico 1. Capitulum Generale tantum potest

potest in condendis statutis & legibus, quantum respectivè totus Ordo. Provinciale, quantum tota Provincia, Conventuale, quantum totus Conventus. *Quanta potestas Capituli Generalis.*

194. Ratio clara est ex jure naturali, hujusmodi enim Capitulum constat ex præcipuis Capitibus & membris Ordinis totius ex omni Provincia & Regno convenientibus: ex jure autem positivo constabit in dicendis.

195. Dico 2. Capitulum Generale Cisterciensium omnia, quæ ad directionem & gubernationem suorum subditorum pertinent, sive in spiritualibus sive temporalibus (salvis duntaxat S. Ordinis substantialibus) plenariâ & omnimodâ potestate statuere, & definire, emendare, corrigere, nec non censuris & pœnis ad eorundem statutorum observantiam cogere potest. *Exponitur plenaria potestas Capituli Generalis in condendis legibus &c.*

196. Ita dictat ratio juxta superioritatem memorati Capituli, & subjectionem eorum, qui dicto Capitulo subsunt, patet ex Privilegiis Innocentij VIII. p. 1. cap. 6. citati, & aliorum Summorum Pontificum, ex quo ita sentit Rodriq. tom. 1. q. 41. art. 2. Et constat expressè ex iis, quæ apud eundem q. 68. art. 6. ex compendio Privileg. Cisterc. tit. *Constitutiones & definitiones.* §. 1. adducuntur, ubi Martinus Papa V. & Eugenius IV. concesserunt. *Quod Generalis Reformator & Capitulum Generale hujus congregationis pro directione ac subditorum animarum salute, stabilitateque Monasteriorum, salvis regulæ substantia-*

stantialibus, quascunque in spiritualibus & temporalibus, circa ipsam regulam & ejus observantiam occurrentes ambiguitates, obscuritates & dubia declarandi, dilucidandi, interpretandi & dispensandi, statutaque & ordinationes, seu ejusdem definitiones etiam interpretandi, modificandi, dirigendi & reformandi, mutandi, variandi, tollendi, revocandi, cassandi & alterandi, nec non nova edendi, condendi & faciendi plenam & liberam authoritate Apostolicâ facultatem & potestatem habeat.)

Capitulum Generale substantialia Ordinis & regulæ immutare nequit.

197. Dixi *Salvis duntaxat S. Ordinis substantialibus*, tùm quia Capitulum Generale in votis substantialibus & solemnibus dispensare nequit; tùm quia arctiora supra regulam statuta facere non potest, cùm illius potestas juxta regulam circumscripta nec ultra eam se extendat, ut benè docuit mellifluus Doctor lib. de Præcept. & dispens. cap. 7. nec votum obedientiæ ad alia obliget, quàm quæ implicitè aut explicitè regulam concernunt, ut docent Sylvester V. *Religio.* Angelus V. *Religiosus.* num. 29. Lezana tom. 2. c. 12. n. 9. undè quemadmodum plus exigi non potest, ut inquit citatus Doctor Bernardus, quàm quis spontè promisit scilicet obedientiam juxta regulam, ita nec id exigi potest ultra eam, ad quod nemo spontaneò se obligavit.

CA-

CAPUT II.

An, qualiter & quos Statuta obligent?

198. DIco I. Definitionibus à Capitulo Generali, majori aut saniori ejus parte factis, constitutionibus, declarationibus, & correctionibus quibuscunque juxta regulam, omnes & singuli subditi efficaciter parere tenentur.

199. Hoc licet ex Bullis Innocentij VIII. & Gregorij XIII. p. 1. c. 6. & 7. sat superque constet, probatur à potiori, quòd etiam promoti in Abbates per Sedem Apostolicam aut ex Cisterciensibus assumpti in Sacellanos seu familiares Summi Pontificis aut Cardinalium aliorumvè Prælatorum, à jurisdictione, correctione & obedientia Abbatis Cisterciensis & Capituli Generalis nullatenus subtrahantur, prout eidem Ordini concessit Joannes XXII. constit: *Ad Cisterciensem Ordinem.* & constit: *Dum uberes fructus.* Contrarium attentantes Eugenius IV. constit. *Ad universalis Ecclesiæ.* Excommunicationis sententiæ subjacere decernit. Quod intellige, si per violationem contemptus vitiet, hoc enim absente excommunicatio non incurritur, cùm peccatum mortale non incurratur, prout declaravit Leo X. pro Congregatione Camaldulensi.

Statutis Capituli Generalis omnes subditi parere tenentur.

Promoti à SS. Pontifice in Abbates &c.

200. Ubi etiam advertendum est, quòd nulla Ecclesia aut persona Ordinis adversus communia

Contra statuta Ordinis nemini licet Privilegium obtinere. munia Ordinis instituta Privilegium à quolibet postulare audeat, vel obtentum quomodolibet obtinere, ut concessit Eugenius III. *Sacrosancta Romana Ecclesia.* Anastasius IV. Adrianus IV. Alexander III.

201. Abbates quoque (quod extenditur tanquam Ordini favorabile etiam ad Abbatissas) contra prius Privilegium facientes deponi possunt. Ita Clemens IV constit: *Parvus fons.* qui idem constit: *Ne propter insolentias.* omnes indulgentias taliter obtentas irritas & inanes esse decernit. Imò Privilegia ejusmodi impetrantes & eis utentes defacto sunt depositi, dist. 4. c. 1. & excommunicati eâdem distinct. de quibus videantur novellæ ad annum 1350. dist. 8. c. 2. & alibi, quamvis hæc pœna impræsentiarum non tenere videatur juxta ea, quæ dicam infrà ad concl. 3.

Poena contra facientium.

202. Huc spectat illud Decretum Capituli Generalis proximi sæpè citati, quòd Monachus qui sub prætextu beneficij ab Ordinis subjectione semel recessit, nunquam recipiatur sine licentia Capituli aut Generalis, & quatuor primorum Abbatum, & receptus per totam vitam ultimus maneat.

Poena ab Ordinis subjectione recedentium.

203. Probat deniqúe assertionem nostram novissimè Decretum Urbani Papæ VIII. ad annum 1635. quo statuitur, & Monachis Cisterciensibus generatim & speciatim in Parisiensi Collegio degentibus districtè injungitur, ut omni

omninò Abbati Generali pareant, nec in aliquo ejus superioritatem, cui subsunt, sub quovis prætextu etiam introducendæ reformationis quoquo modo turbare audeant, non obstantibus quibuscunque. *Confirmatur conclusio.*

204. Dixi in Conclusione, *A majore seu saniore Capituli Generalis parte.* Tota enim authoritas dicti Capituli in hoc consistit. Undè quidquid hac majori vel saniore parte agitur, à toto Capitulo actum censetur, juxta jus commune Cap. *Cum cunctis. de his, quæ fiunt.* ita Sylvester in Summa V. *Capitulum.* n. 1. Quod si tamen major pars Capituli delinquit juxta Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 41. art. 1. tota authoritas manet in parte minori non delinquente, ut etiam adnotavit Panormitanus in dictum Cap. *De his.* quem sequitur Lezana tom. 2. cap. 12. titulo *De capitulu.* *Tota authoritas Capituli Generalis in quo consistat.*

205. Sanior autem pars ea dicitur, quæ innititur majori rationi & pietati, ita Sylvester in Summa V. *Capitulum.* n. 1. quod verum est in gestis publicis, non verò in occultis, ut sunt electiones Abbatum, cujus ratio desumitur ex Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 6. quia ejusmodi electiones secretò fieri debent, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur, nec in iis inquiri debet, quænam pars eligentium sit sanior, nè innumeris contentionibus præbeatur occasio. *Quæ sit dicenda sanior pars.*

206. Dico 2. Casu quo omnes Capitulares

Capi-

Capitulo Generali interesse nequeunt, quidquid à saniori parte prudenter & providè statutum fuerit, id firmum & ratum ab omnibus observari debet.

Statuta à saniore parte Capituli Generalis facta omnes obligant.

207. Quod declarat Clemens III. & Cælestinus Papa III. specialiter pro Carthusiensibus, & viâ communicationis Cisterciensibus tribuitur, idipsum videatur in citato compendio Cisterciens. §. 2. 3. & 4. quod affirmat Lezana tom. I. c. 18. n. 9. casu, quo sedet Capitulum Generale ante electionem Abbatis Generalis, dummodò Vicarius aliquis Generalis adsit, posse nimirum leges condere totam religionem obligantes. Ita enim Capitulum repræsentaret totam religionem; secus verò dicendum esse docet Suarez tom. 4. de Regul. tr. 8. lib. 2. c. 8. n. 8. si sine Vicario aut Præside Capitulum Generale celebraretur.

Quænam statuta teneant.

208. Dico 3. Statuta ab exordio fundationis S. Ordinis Cisterciensis in Capitulo Generali concorditer facta, dummodo spatio centum annorum in dissuetudinem non abierint, aut expresse revocata non fuerint, firma sunt, & confirmantur à Pio Papa IV. Gregorio XIII. Sixto V. & aliis Summis Pontificibus.

Novissimè confirmantur tres definitiones

209. Quia verò vitanda legum multiplicitas quæ mole sua plus gravat, quàm juvat observantiam, ut loquitur Capitulum Generale proximum, idcirco ex multis tres duntaxat ex novellis, definitiones renovantur & confirmantur

mantur ex Capitulo Generali ad annum 1605. 1. de celebrando singulis quadrienniis Capitulo Generali. 2. Quòd non liceat sub pœna excommunicationis & inhabilitatis ad quæcunque officia, gradus aut dignitates ulli possidere, sive bona mobilia sive immobilia quovis modo acquisita tanquam propria, juxta Decretum Concilij Tridentini Seß: 25. cap. 20. de Regul. 3. Compelli debent inviti Abbates ad recipiendum competentem numerum Religiosorum.

Capituli Generalis ad annum 1605.

210. Ex Capitulo autem Generali ad annum 1609. prohibetur 1. sub pœna infamiæ & inhabilitatis ad quælibet officia, &c. qui negotia Ordinis ad Superiores aut inferiores quomodolibet spectantia, directè vel indirectè, per se vel per alios ad Tribunalia extra Ordinem pertrahere, aut quomodolibet deferre, aut aliquam Ordinis personam ibi quâcunque causâ convenire audeat vel præsumat. 2. Mandatur ex eodem Capitulo, ut Diœcesanis Episcopis Monasteria sub adventu suo ingressuris debitus honor & solemnis exceptio exhibeatur, prout in libro Usuum præscribitur. Pixidem tamen Augustissimi Sacramenti visitare, aut ad exercitium cujuscunque jurisdictionis in iisdem procedere minimè permittantur. Ea verò quæ noviter statuta sunt, videantur ex ipso Capitulo ad annum 1651.

Confirmantur & innovantur duæ definitiones ex Capitulo Generali ad annum 1609.

211. Dico 4. Statuta tamen non obligant, nisi in sequenti Capitulo Generali confirmentur,

Statuta non obligant.

nisi in sequenti Capitulo Generali confirmentur: tur, & per definitores nihil est definiendum prius in Capitulo non notatum. Ita voluit Clemens IV. const: *Parvus fons.* quam Clementinam confirmavit in specie Pius II.

Quænam statuta sint revocabilia authoritate Capituli Generalis. 212. Dico 5. Statuta solâ duntaxat authoritate Ordinis facta per subsequens Capitulum Generale sunt revocabilia absque licentia Summi Pontificis.

213. Cùm enim subsequens Capitulum præcedentis sit repræsentativum, eandemque retineat authoritatem; dubium non est, quin sicut propriâ authoritate poterit statuta concedere, ita eâdem potestate possit eadem revocare, excepto, juxta probabiliorem sententiam, *Excipe.* ut tenet Tamburinus tom. 3. disp. 3. q 8. decreto aut statuto lato contra Regularem servato juris ordine.

CAPUT III.

An Statuta singulari authoritate Summi Pontificis posita à Capitulo Generali sint revocabilia absque Sedis Apostolicæ licentia.

Papalis confirmatio statutorum alia est essentialis, 214. Difficultas major est an statuta singulari authoritate Summi Pontificis facta, in Capitulo Generali, aut subsequenti Capitulo revocari possint. Circa quod observandum est, quòd confirmatio Papalis ejusmodi statutorum vel sit essentialis, id est, quòd Sedes Apostolica confirmando ea, voluerit novum ro-

bur addere, & suâ authoritate subsistere, quod colligitur si dicat: *Quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit & inane.* Vel confirmatio Papalis est tantùm accidentalis, id est, quod Summus Pontifex declarat laudabilia & à subditis observanda, nec ea suâ sed Capituli Generalis authoritate firma relinquit. His positis.

Alia est accidentalis.

215. Dico 1. Statuta præcedentis Capituli Generalis authoritate Pontificis essentialiter & substantialiter confirmata à subsequenti Capitulo Generali nec cassari, nec revocari aut dispensari possunt sine expressa Summi Pontificis licentia.

Statuta Capituli Generalis à Papa essentialiter confirmata à Capitulo Generali sunt irrevocabilia.

216. Probatur, quia ejusmodi statuta censentur ab ipso Summo Pontifice lata, ergo Capitulum Generale non potest ea abrogare, cassare aut dispensare, quod constat ex limitata inferioris potestate, qui non potest sine expressa licentia superioris quidquam in lege illius immutare aut remittere de jure superioris, juxta L. 1. §. *Sed & titulum. de rebus alienandis.* L. *jus publicum. ff. de pactis.* & cap. *Diligenti. de foro compet.* Ubi cavetur, quod jus publicum Universitatis aut Collegij constitutum per legem superioris non potest per eandem communitatem remitti, ut docent DD. in cap. *Cum accessissent. de constit.* & cap. *Dilecto. eodem tit.* sed Capitulum Generale est inferius Papâ. ergo. Confirmatur, quia illa potestas necessaria est ad ejusmodi statuta

abroganda, quæ fuit necessaria ad ea ponenda, authent: *Econtra. C. de repudiis.*

Statuta Capituli Generalis accidentaliter à SS. Pontifice confirmata revocari possunt à solo Capitulo Generali. Probatur 1.

217. Dico 2. Statuta Capituli Generalis à Summo Pontifice accidentaliter confirmata, à subsequenti Capitulo Generali sunt revocabilia solâ authoritate Ordinis, absque licentia Summi Pontificis.

218. Probatur, quia ejusmodi statuta censentur esse solius Capituli Generalis, non autem Summi Pontificis. Ratio autem illius est, quia confirmatio Papalis hoc casu legem non ponit, sed supponit, ut suppono cum Salas de Legibus disp. 20. sect. 3. n. 29. Bonacina de Legibus disp. 1. q. 2. p. 1. n. 16. Tamburino citat. n. 7. unde juxta Mirandam tom. 2. in Manuali præl. q. 2? art. 8. hæc confirmatio non habet vim legis Pontificiæ, sed favoris, quapropter consequentia patet, quia juxta citatam authenticam, penes eum est potestas abrogandi legem, penes quem est eam statuendi authoritas.

Probatur 2.

219. Hinc confirmatur conclusio, ideo hæc abrogatio non censeretur valida, quia esset in lege Superioris, v. g. Papæ, sed hoc non est, quia juxta dicta confirmatio Papæ in casu præsenti est tantùm aliquid accessorium & accidentale, non autem principale aut essentiale.

Capitulum Generale contra jus commune

220. Collige hic 1. Capitula nil statuere posse contra jus commune & sacros Canones, ut constat ex Cap: *Quod super his. tit. de Majorit. & obedient:* ubi id clarè habetur. Deinde qui

Capi

Capitula sunt inferiora Pontifice, hinc contra jus commune à Summis Pontificibus conditum nil statuere possunt, tùm quia inferior caret jurisdictione in superiorem, & lex superioris ab inferiori tolli nequit, juxta Clement: *Ne Romani. de Elect.* Possunt tamen constitutiones juris communis declarare, innovare, & ubi pœna defuit apponere vel augere, hoc enim non est legem aut jus tollere sed augere, quod licitum est juxta Cap. 1. *de non oper. nunciat.* propter quod ita tenent Rodriq. Pejerinus apud Lezanam tom. 2. de Capitulis. cap. 12. n. 6. in fine.

& Sacros Canones nihil potest innovare.

Potest tamen declarare, &c.

CAPUT IV.

Solvuntur quædam Quæstiones, circa Usuum, Privilegiorum & jurisdictionis suspensionem, Casuumque reservationem, à Capitulo Generali.

221. QUæritur 1. Utrum Capitulum Generale possit restringere, limitare, imò etiam tollere in religione usum Privilegiorum? Respondeo 1. Id defacto nusquam legitur aut noscitur factum esse, imò nil crebrius inculcatur, quàm ut Privilegiorum usus continuò & inviolabiliter servetur. Respondeo 2. cum Lezana tom. 2. c. 12. n. 11. de possibili affirmativè, nemo enim invitus obligatur ad usum Privilegiorum; siquidem aliàs Privilegia non forent favorabilia, sed onerosa contra pro-

Capitulum Generale potest usum Privilegiorum suspendere.

De possibili.

priam eorum rationem, adeoque poterit Capitulum Generale, in quo est tota totius Ordinis authoritas, Privilegiis uti vel non uti simpliciter, aut restringere, limitare, aut omninò tollere quoad usum: idipsum tamen benè limitat Rodriq. tom. I q. 17. art. 5. si nimirum ejusmodi restrictio, limitatio aut suspensio conducat ad Sacri Ordinis conservationem aut reformationem.

Capitulum Generale Abbatibus inferioribus adimere potest ordinariam potestatem, &c.

222. Ex quo infero I. posse Capitulum Generale auferre potestatem ordinariam in Religiosos & familiares Abbatibus inferioribus, eamque transferre in aliquos Abbates superiores, v. g. Vicarios & Visitatores. Ita enim si Capitulum Generale statueret Abbates censerentur suo juri renunciare, cùm eorum authoritas & potestas à Capitulo Generali dependeat. Quamvis non desint alii, qui contrarium sentiant asserentes id sine consensu Sedis Apostolicæ nequaquam fieri posse, cùm mens Pontificis fuisse videatur, non aliâ conditione Episcopis eam potestatem adimere, quàm ut illa in immediatos Abbates transferatur.

Resolvitur quæstio de Abbatibus, Vicariis Visitatoribus & Patribus immediatis.

223. Hic quæri posset, an idipsum possint Abbates, Vicarii & Visitatores? Ad quod respondendum est negativè, quia Abbates inferiores comparantur Episcopis, & superiores Archiepiscopis quoad potestatem jurisdictionis, sed Archiepiscopus non potest Episcopo suam jurisdictionem adimere, ergo nec Vicarius aut

Visitator aut Pater immediatus aut Superior Abbati inferiori sibi subjecto; nisi id faciat non ordinariâ, sed sibi à Capitulo Generali authoritate delegatâ. Non tamen negandum est, quin in causa particulari aut appellationis ad tempus suspendere possit inferioris Abbatis jurisdictionem, cùm ordo hierarchicus id postulet, & Abbas superior in Abbatis inferioris subditos mediatam saltem & extraordinariam jurisdictionem habere dignoscatur.

224. Quæritur 2. An Capitulum Generale sibi possit reservare casus pro conservatione Religionis, & conservanda conscientiarum puritate? Respondeo id indubitatum esse, & ita tenent cum Lezana citato n. 12. plures nominatim ex jure communi, & vi Privilegiorum: id enim concessum est Generalibus Abbatibus multò magis Capitulis Generalibus; quod autem illis hoc concessum sit, constat ex constitutione Clementis VIII. facta anno 1593. ubi habetur, quòd nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverit. *De Casuum reservatione.*

225. I. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à religione, seu habitu dimisso sivè retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterij seu Conventûs fiat egressio. 3. Nocturna & furtiva etiam non animo apo- *Casus reservabiles à Clemente 8. statuuntur undecim.*

 statan-

ſtatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Lapſus carnis voluntarius in opere conſummatus. 6. Occiſio, vulneratio, aut gravis percusſio cujuſcunque perſonæ. 7. Malitioſum impedimentum, aut retardatio aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, aut ab his ad illos miſſarum. 8. Juramentum falſum in judicio regulari ſeu legitimo. 9. Procuratio ſeu Conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. 10. Falſificatio manûs & ſigilli officialium Monaſterij aut Conventûs. 11. Furtum de rebus Monaſterij ſeu Conventûs in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Ampliatur poteſtas reſervandi caſus. 226. Addit idem Pontifex ad majorem cautelam, quod ſi aliquod aliud peccatum grave pro religionis conſervatione & pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Capituli Generalis in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia maturâ diſcusſione & conſenſu, ita Rodriq. tom. 1. q. 11. art. 2. & novisſimè Lezana tom. 1. q. 18. n. 20. quæ vera ſunt reſpectu Regularium etiam Prælatorum; an autem reſpectu Novitiorum? Docet Diana contrarium tract. 2. de dub. regul. reſol. 4. juxta diverſos; unde Novitij à quocunque ſæculari approbato Parocho in conſcientia abſolvi posſunt.

227. Quinam autem caſus ſint defacto reſervati,

vati, nondum intelligere potui, quos Capitulum Generale proximum statuit à Reverendissimo Domino Abbate Generali & quatuor primis Abbatibus determinandos.

An de facto aliqui casus reservati à Capitulo Generali.

228. Quæritur 3. Qualiter Capitulum Generale, & in quibus voluerit Cistercienses subditos obligatos sivè sub mortali sivè veniali peccato? Respondeo in declaratione Deputatorum Capituli Generalis ad annum 1618. approbatâ ab Abbate Generali in plenaria ejusdem Capituli potestate statutum est, quòd præter horas Canonicas, nulla alia officia, Missæ, preces, &c. nec horæ quotidianæ Conversorum consuetæ, & à Fratribus dicti Ordinis dici consuetæ, nec jejunia Ordinis, abstinentia à carnibus diebus in Ordine consvetis & ab Ecclesia non interdictis, nec etiam annua confessio sub peccato mortali obligent; imò nec sub veniali, quando sub rationabili causa, & cum Superiorum licentia seu legitimâ dispensatione omittuntur, vel non observantur. Nomine autem horarum Canonicarum solum venit Officium de tempore Canonicum & Ecclesiasticum.

Quænam obligent Cisterciens: sub mortali aut veniali peccato.

CAPUT V.

Quænam gratiæ obveniant durante Capitulo Generali.

229. QUo tempore Capitula celebrari debeant, illud triennale in Provincia-

Exponitur tempus

cele-brandi Capitula Cisterciensis. libus statuit Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 2. & quia eædem rationes urgent ad celebranda Capitula Generalia, ut inquit Rodriq. in comp. resol. 20. n. 9. ea ipsa celebranda forent de triennio in triennium. Apud Cistercienses autem ea primitùs, ut constat ex Charta charitatis cap. 3. & ex Bulla Clementis IV. *Parvus fons.* & colligitur ex Decreto proximi Capituli Generalis Cisterciensium, quotannis celebrabantur, *Quoniam enim*, inquit, *hodiernus rerum status non permittit, ut Capitulum Generale singulis annis habeatur; statuit, ut imposterum saltem quadriennio celebretur.*

Modus ad Capitulum Generale veniendi. 230. Qualiter autem à Vicariis & remotis Abbatibus & quâ pompâ frequentari debeat, videatur Innocentius VIII. constit. *Accepimus.* & qualiter inviti compellendi sint, Clemens IV. constit. *Licet.* Quibus præmissis.

Capitulum Generale dispensat super irregularitatibus &c. tempore quo durat. 231. Observo 1. singularissimum Privilegium pro iis, qui Capitulo Generali intersunt, quod scilicet *Confessores à Capitulo Generali nominati singulas utriusque sexus Monasteriorum personas, confessionibus illarum auditis, & salutaribus poenitentiis injunctis, ab omnibus, præterquam Sedi Apostolicæ reservatis criminibus, quoties eis visum fuerit, absolvere possint, & super irregularitatibus* (quòd etiam indulsit Honorius Papa III. constit. *Volentis religioni.*) *quavis causa contractis* (*homicidij voluntarij, membri mutilatione, ac bigamiâ exceptis*) *cùm eisdem, ut ad omnes etiam Sacros Ordines promoveri*

moveri, & iisdem ministrare possint, omnem inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam per eos contractam abolendo dispensare. Hoc ab Eugenio IV. Cisterciensibus concessum adducit Rodriq. tom. 1. q. 41. art. 4. Quod ipsum Pius IV. indulsit Congregationi Montis Oliveti, prout habetur in Compendio Cisterciens. tit. *Capitulum*. Cujus Collector addit, quòd hæc facultas duret, quod benè notandum est, usque dum suspendatur.

Ampliatur ad tempus.

232. Observo 2. juxta constit. *Licet Romanus Pontifex.* Sixtum IV. Cisterciensibus concessisse, *ut omnibus & singulis Abbatibus, Prioribus, Monachis, Novitiis, Conversis, Donatis, Servitoribus, continuis commensalibus, procuratoribus, nunciis, & aliis Cisterciensis Ordinis personis tunc præsentibus & futuris, qui perpetuis futuris temporibus ejusdem Ordinis Generali Capitulo interessent, ut Confessor idoneus de dicto Ordine, cui secundùm dicti Ordinis consuetudinem, ex propriorum Abbatum ordinatione alias confiterentur, & quem tunc vel infra viginti dies immediatè sequentes ad hoc quemlibet ipsorum duceret eligendum, eos & eorum quemlibet ab omnibus & singulis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis à jure vel ab homine quâvis occasione vel causa latis, inflictis & promulgatis, ferendis, infligendis aut promulgandis, aliisque eorum peccatis, delictis, criminibus & excessibus quibuscunque, quantumcunque enormibus, etiamsi talia*

Capitulum Generale absolvit ab omnibus casibus & peccatis, &c. etsi propterea Sedes Apostolica necessariò esset adeunda.

NB.

talia forent propter quæ Sedes Apostolica necessariò foret adeunda, consulenda, annis singulis, quoties dicto Generali Capitulo interessent, semel duntaxat debitam absolutionem impendere, & poenitentiam salutarem injungere, nec non super irregularitate, quovis modo & qualitercunque contracta vel contrahenda, cum iis & eorum quolibet dispensare, nec non plenariam remissionem & absolutionem omnium & singulorum peccatorum suorum eis impendere possint & valeant. Ita præfatus Pontifex.

Restrictio præcedentium. 233. Quam concessionem limitat quidem Collector Privilegiorum Cisterciensium in Compendio tit. *Capitulum Generale.* §. 9. volens in hac concessione non contineri dispensationem, circa homicidium voluntarium, mutilationem membrorum & bigamiam; cùm hæc tria in quacunque dispensandi facultate à Summis Pontificibus concessa excipiantur, nisi id expresè concedatur, ut dicit tit. absol. v. *Homicidium voluntarium.* *Mens Authoris.* Verùm quia in citato Privilegio expresè ponitur, *Etiamsi talia forent*, scilicet delicta, *propter quæ Sedes Apostolica* (Nota benè) *necessariò foret adeunda, &c.* sat expressa videtur concessa in his dispensandi potestas.

Absentes à Capitulo Generali eisdem indulgentiis frui possunt. 234. Hic Cistercienses optimè advertant, quòd eandem indulgentiam consequantur Monachi, Fratres & Conversi, &c. etiam à loco, ubi Generale Capitulum celebrabitur, absentes; qui verè poenitentes & confessi pro ejus felici successu preces ad DEUM secundùm Ordinis

Statuta

Statuta devotè fuderint, prout vivæ vocis oraculo concesſit Pius Papa IV. Congregationi Montis Oliveti, ut habetur in ejus compendio tit. *Capitulum* §. 10. Quo Privilegio etiam gaudent mendicantes & qui eorum Privilegiis gaudent, ut benè docet Rodriq. tom. 1. q. 41. art. 4. in fine.

CAPUT VI.

De Poteſtate Abbatis Generalis quoad vim condendi Leges & ſtatuta, & an & quomodo iisdem obligetur.

235. DIco 1. Abbatem Generalem Ciſterciensium tota, aut majori Capituli Generalis parte conſentiente Statuta condere poſſe, quæ ad regularem Ordinis obſervantiam & cuſtodiam ſpectant, hoc indubitatum eſt, & abundè conſtat juxta ea, quæ ſuprà ex Martino V. & Eugenio IV. expreſsè hanc poteſtatem Abbati & Capitulo Generali concedentibus adducta ſunt.

Exponitur poteſtas Abbatis Generalis in condendis ſtatutis, &c.

236. Dixi *conſentiente Capitulo*, ut advertatur diſcrimen inter Capitulum Generale & Abbatem Generalem, quod ſcilicet illud diſſentiente Abbate Generali; non verò hic diſſentiente Capitulo Generali ſtatuta condere poſſit: quòd oritur ex dependentia quam Abbas Generalis habet à Capitulo Generali, cui ſubjicitur, quâ ſervatâ differentiâ, tantùm poteſt, quantùm ipſum Capitulum

Differentia Abbatis & Capituli Generalis in condendis legibus.

Potestas Abbatis Generalis generatim. pitulum Generale cujus plenariâ fungitur authoritate Capitulo non sedente, quod clarè innuit Innocentius VIII. constit. *Liceat ea.* ubi ait quòd cessante Capitulo Generali penes eum omnis authoritas hujusmodi Capituli remaneat.

Juxta regulam circumscribitur. 237. Dixi præterea, *Quæ ad regularem observantiam*, tùm quia potestas dicti Generalis juxta Regulam S. Benedicti limitatur, cujus limites non excedit: tùm quia contra jus commune etiam consentiente Capitulo nil statuere potest, nisi speciali Privilegio Sedis Apostolicæ id concedatur; illius ratio est, quod Lex Superioris per inferiorem tolli nequeat, Clement. *Ne Romani. de Electione*, cùm inferior nullam habeat jurisdictionem in superiorem, ut docet cum aliis Navarrus cons. de regul. cons. 5. ita etiam docet Surdus consil. 98. n. 6. inferiorem superiorum jura evertere non posse. Certum autem est Abbatem Generalem esse Summo Pontifici inferiorem; imò Capitulo Generali, cui subest. Undè nec hoc obligare potest factis à se statutis nisi in quantùm Capitulum Generale in eorum positionem consentit, & in quantùm propriis statutis obligatur: nec quidpiam contra jus commune præciso Privilegio innovare potest.

238. Dico 2. Abbas Generalis vi directivâ & aliqualiter coactivâ tenetur legibus & statutis Capituli Generalis, aut à se factis cum ejusdem Capituli consensu.

239. Ad cujus veritatem suppono cum Sua-

rez lib. 3. de Legib. cap. 35. n. 19. Rodriq. tom. 1. q. 68. art. 3. & aliis. Abbates ipsumque Generalem, licet sint Capita Capitulorum, Capitulis tamen sunt inferiores: adeoque nec Legislatores dicuntur, quamvis ad Leges condendas convenerint. Sunt enim Abbates Generales membra religionis; & cum Lex non ab ipsis solùm, sed præsertim à Capitulis vim suam sortiantur. Ex quibus quoad vim directivam ita sentiunt D. Thomas 1. 2. q. 46. art. 5. ad 3. Sotus lib. 1. de Justit. q. 6. art. 7. & patet ex verbis Pauli ad Romanos 2. *Qui alium doces, teipsum non doces, &c. propter quod inexcusabilis es ô homo qui judicas, in quo enim alterum judicas, teipsum contemnis.* Ratio autem est, quia sicut jus naturæ præcipit inferioribus ut obediant; & conformentur cùm suo capite: ita præcipit superioribus, ut proprias leges servent & conformentur cùm suis membris. Et præterea cùm superiorum sit docere verbo & præire exemplo: manifestum est, eos ad Leges suas vi directivâ teneri, quod ipsum existimat Suarez citatus: eâ nimirum conditione superioribus datam esse ejusmodi potestatem condendi statuta, ut & ipsi propriis legibus subdantur ad ædificationem aliorum, non verò destructionem; quæ sequeretur, si ab onere colla sua removerent, & subditi facilè dicerent: Medice cura teipsum.

Abbas Generalis statutis suis tenetur dupliciter.

Vi directivâ.

240. Quoad vim aliqualiter coactivam patet: quia Abbas Generalis & Capitulo Generali info-

Vi aliqualiter coactivâ.

inferior, cujus etiam imperio paret, & excedens ob delicta sua, & statutorum transgressiones à Capitulo Generali puniri potest. De quo videatur Charta charitatis; quodque expresse docent Lezana tom. 1. de oblig. regul. c. 8. n. 21. Juxta Rodriq. tom. 1. q. 68. art. 3. Miranda in Manuali Præl. q. 29. art. 4.

CAPUT VII.

Exponitur breviter Abbatis Generalis potestas in Ordine ad alios jurisdictionis actus, tàm temporales, quàm spirituales.

Abbas Generalis & quatuor primi tractant negotia ordinis.

241. Dico 1. Juxta Privilegium Nicolai V. const. *Cùm sicut.* Abbas Generalis & quatuor primi Abbates communia membrorum omnium totius Ordinis negotia, quoties expediverit, tractare, & pro iisdem negotiis procuratores instituere possunt.

Reformant.

241. Dico 2. Iidem possunt cogere Ordinem ad certam reformationem, juxta Privilegium Nicolai Papæ ejusdem, constit. *Etsi omnes religiones.*

Visitant.

242. Dico 3. Abbas Generalis potest visitare Monasteria omnia tàm Monialium quàm Virorum, ut concessit præter alios Summos Pontifices passim citatos Gregorius XIII. & patet juxta probatam exemptionem Cisterciensium à potestate ordinaria Episcoporum. Imò hunc ejusque Vicarios visitare volentes, qui nec

reci

recipere, nec obedire voluerit, ipso facto excommunicationem incurrit, ut voluit Innocentius VIII. const. *Alias præcipientes.* & præterea sub pœna eadem excommunicationis in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur omnibus à Pio IV. Gregorio XIII. Sixto V. ut Visitatores benignè recipiant, eisque obediant: quod ipsum Concilium Tridentinum confirmat, cum Sess. 25. cap. 9. jubet, ut *etiam Monialium Monasteria, quæ Capitulis Generalibus, vel ab aliis regularibus reguntur, sub eorum cura & custodia relinquantur.* Dicitur *etiam*, ut denotetur à potiori Monasteria Virorum ejusmodi superiorum visitationibus & aliis jurisdictionis actibus esse omninò subjecta.

Visitari nolentes excommunicantur, &c.

Confirmantur dicta ex Concil. Trid.

243. Inhibet autem Gregorius Papa XIII. const. *Supernâ dispositione.* Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & aliis superioribus Prælatis, videlicet sub interdicti ingressûs Ecclesiæ, & suspensionis à divinis, Abbatibus verò & aliis inferioribus Prælatis, cæterisque quibuscunque personis sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, nè Abbatem Generalem, & alios superiores Ordinis, eorumque Vicarios præfatos, quò minus hujusmodi visitationes juxta regularia Ordinis instituta liberè facere possint, per se vel interpositas personas, directè vel indirectè, vel aliàs quoquo modo impedire audeant aut præsumant.

Visitationem impedientes poenis Ecclesiasticis puniuntur.

244. Dico 4. Abbas Cistercij & Capitulum

Abbas Generalis & Capitulum Generale habent potestatem uniendi Monasteria.

Generale potest unire Monasteria nemine r
quisito, ut concessit Joannes Papa XXIII. co
Sacræ religionis. Non sedente autem Capitu
remanet ea potestas penes Abbatem Gene
lem, quam constitutio Innocentij VIII *Licet*
concedit: quâ insuper declaratur, quòd Ge
ralis non sedente Capitulo, ac etiam depu
ab eodem hujusmodi uniones facere possi

Dispensant super irregularitate.

246. Dico 5. Abbas Cisterciensis cum
teris Co-Abbatibus Ordinis dispensare po
super irregularitate, & unus eorum, quem
per præmissis elegerit cum eo. Ita statuit A
xander Papa IV. const. *Licet ad hoc.* ubi idip
conceditur reliquis Abbatibus cum Religi
suis. Capitulum autem Generale dispensat
per irregularitate Ordinis, juxta concessio
Honorij Papæ III. const. *Volentes Religioni*
stræ. Videatur hic Sixti IV. const. *Sacrosa*
Religioni vestræ, ampla concessio respectu om
um censurarum & peccatorum.

Dicenda alibi p. 3. per totum.

247. De potestate Abbatis Generalis
quatuor primorum Abbatum quoad adm
strationem Sacramentorum, item specia
quoad benedictiones & consecrationes re
personales, & locales, &c. erit commodior
cendi locus Parte tertiâ per totum, ad qua
benevolum lectorem remitto.

Hic solùm.

CAPUT VIII.

Exponuntur nonnulli actus invalidi sine consensu Abbatis & Capituli Generalis.

248. PRimò. Nullus Cisterciensium audet aut potest renunciare ullis Privilegiis Ordini Cisterciensi concessis sine licentia Capituli Generalis, & sine licentia Summi Pontificis. Constat ex dictis p. 1. cap. 12. n. 155.

Invalida renunciatio.

249. Secundò. Nullus Abbatum potest resignare aut cedere regimini quovis modo, nisi ex consensu Capituli Generalis, secus faciens, & alius ratione talis resignationis aut cessionis in regimine succedens, aut ei se immiscens, excommunicationem latæ sententiæ soli Papæ reservatæ incurrit. Juxta constitutionem Eugenij IV. *Ecclesiarum.*

Invalida resignatio regiminis etiam in manibus Summi Pontificis.

250. Tertiò. Non possunt Cisterciensium Abbates etiam in manibus Papæ Regimini cedere aut resignare sine expressa licentia Abbatis Cistercij & Capituli Generalis: aliter factæ cessiones aut resignationes in sic resignantium pœnam tenent; atque ex tunc ad Ordinem spectat Monasteriis ejusmodi aut beneficiis providere: quidquid verò fuerit contra dicta quâvis authoritate attentatum, irritum est & inane. Ita Innocentius VIII. ex motu proprio & ex certâ scientiâ, const. *Universalis Ecclesiæ.*

251. Quartò. Nemini licet Monasteria, lo-

Invalida Monasteriorum alienis possessionibus subjectio, unio, &c. ca Cisterciensium aliis diversæ professionis subjicere, unire aut associare, aut contra eorum statuta aliquid immutare aut innovare, quod Ordini dicto præjudicium generet, absque mandato Sedis Apostolicæ. Contra factum irritum declarat & inane Nicolaus V. const. *Plantatus in agro Domini.*

Invalida Monasteriorum suppressio dismembratio, &c. 252. Quintò eorundem Monasteriorum uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones & extinctiones, aut fructuum, redituum & proventuum illorum dismembrationes, & aliis locis quantumvis piis applicationes, & aliæ quævis perpetuæ illorum alienationes cuicunque alteri loco ex quavis causa quantumcunque honesta, urgente & necessaria, absque speciali & expresso Abbatis Generalis consensu in scriptis habito causâque prius in Capitulo præfato, vel aliàs ritè cognitâ, etiam per Sedem Apostolicam, etiam de Fratrum consilio, ac ad quorumvis etiam Imperatoris, Regum, Regnorum, Ducum, & aliorum Principum instantiam deinceps nullatenus fieri possunt, & si aliter fiant, nullius sunt omninò roboris, neque Ordo ejusque Superiores & personæ privatis literis desuper conficiendis obedire debent. Ita voluit Pius IV. constit. *In eminenti dignitatis.* quæ omnia à Gregorio XIII. & Sixto V. postea sunt confirmata.

Decretum Capituli 253. Huc spectat illud Capituli Generalis proximi Decretum, quod nullus contractus valeat

valeat pro alienatione, & locatione in Emphiteusim bonorum Monasteriorum, nisi priùs à Capitulo Generali fuerit approbatus, & si qui facti fuerint rescinduntur. *Generalis ad annum 1651.*

254. Sextò. Ut autem bona immobilia Ordinis Cisterciensis rectè & validè abalienentur, requiritur præter duarum rerum interpolitarum tractatum & consensum Conventûs, licentia Capituli Generalis, discussio à duobus Abbatibus à Capitulo deputatis, unà cum Patre Abbate immediato, qui omnes quatuor juramentum præstare debent super alienatione facienda authenticâ scripturâ. Juxta Privilegium Benedicti XII. const. *Fulgens.* §. 4. 5. & 7. In quo videatur quatenus prædicta etiam ad res mobiles pretiosas aut res parvas, steriles & inutiles possessiones revocantur. *Statutum de non abalienandis rebus immobilibus & mobilibus.*

255. Septimò. Cistercienses ad alium Ordinem se transferre non possunt, juxta constitutionem Nicolai IV. *Plantatus in agro.* postea verò statutum fuit à Martino V. const. *Experientia docet.* nè ulli liceat citra licentiam Capituli Generalis aut Abbatis Cistercij ad alium Ordinem sub pœna omnimodæ inhabilitatis transire, excepto Ordine Carthusianorum. Quòd confirmavit Concilium Basileense ad annum 1437. constit. *Sinceræ devotionis affectus.* Simile Privilegium concesserat Eugenius IV. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, tàm in dantes licentiam, quàm in transeuntes ad alium Ordi- *Statuta de non transeundo ad alium Ordinem præter Carthusianum.*

nem præter Carthusianum; idipsum confirmavit Nicolaus V. *Supra provisionis vestræ.* De quo deniq; videatur Cap. *Non est vobis, de regularib.*

Mendicantes religiosi sine licentia Papæ ad Cistercienses transire nequeunt.

256. Octavò. Prohibetur à Benedicto Papa XII. const. *Regularem vitam.* nè mendicantes transeant ad Ordinem Cisterciensem, sine speciali Summi Pontificis licentia plenam & expressam faciente de constitutione hujusmodi mentionem, non obstantibus quibuscunque Privilegiis Ordinibus mendicantibus concessis.

Exponuntur motiva sufficientia transitus ad alium Ordinem, supposità licentià.

257. Quæri hic potest, quænam causa sit sufficiens, propter quam licitus fiat transitus de Ordine ad alium Ordinem? Respondeo 1. juxta D. Thomam 2. 2. q. ult. art. 8. Sylvestrum, Angelum, & alios, est infirmitas aut debilitas corporis, undè quis ferre non posset austeritatem sui Ordinis, quæ causa sufficit juxta dictos ut aliquis supposità licentià etiam ad Ordinem laxiorem licitè transire possit. Respondeo 2. Si in priori Religione odio habeatur, à suis indignè tractetur, & aliis sit exosus. Ita docet Lessius lib. 2. c. 41. d. 13. n. 102. Azor, Reginaldus, Sanchez, & alii. Respondeo 3. Si ob aliquod crimen diffamatus semper in eo suffusus pudore & tristitia affectus vitam sit transiturus; & hoc sæpiùs, ut testatur Diana, fieri potest in religionibus, ubi observantia Regularis viget. Hoc tenet Sanchez in summa tom. 2. lib. 6. c. 7. n. 72. Respondeo 4. Bartholomæus de Vecchis in Praxi Novitiorum disp. 15. dub. 7. n. 4. judi-

1. Motivum. *2. Motivum.* *3. Motivum.* *4. Motivum.*

cat eum habere sufficientem causam transeundi, cui ob suam imperfectionem & pravum habitum observantia austeritatum adeò redditur difficilis, ut ferè continuam tristitiam & dolorem de professione emissa sentiat, etiamsi ratione illius tristitiæ non sæpè regulam transgrediatur; cui consentiunt alii, si ratione illius tristitiæ contra regulas sæpius peccetur.

CAPUT IX.

De Potestate Abbatum Diffinitorum in Capitulo Generali.

258. TRia potissimum expono. 1. An votum eorum sit decisivum an verò duntaxat consultivum; id est, an eorum solùm consilium, non verò consensus requiratur, juxta id, quod dicitur in Regula S. Benedicti cap. 3. *de adhibendis ad consilium Fratribus.* Deindè qualitér obligentur suam mentem declarare. Porrò an teneantur servare secretum eorum, quæ in Capitulo Generali tractantur. *Exponenda proponuntur.*

259. Dico 1. Abbates Diffinitores votum habent tàm decisivum, quàm consultivum circa ea, quæ in Capitulo Generali disponenda occurrunt. Ut patet in citatis suprà Privilegiis Nicolai V. & Eugenij IV. *PP. Diffinitores vocem habent in Capitulo Generali decisivam.*

260. Dico 2. Hi tenentur in negotiis & præcipuè gravioribus, in quibus eorum consilium petitur, liberè & expresè propriam sententiam

juxta dictamen conscientiæ sub peccato mortali declarare. Obligantur enim ad id ex officio, ut facienda vel omittenda juxta conscientiam apertè declarent ad bonum commune religionis conservandum, aut ampliandum, ergo si in eo desunt, gravissimè peccant, eò quòd desint officio suo in re gravissima: quapropter si in iis, quæ ibidem tractantur consentire nolunt, expresè contradicere debent, nè pro consentientibus in peccatum rei habeantur tàm quoad pœnam, quàm quoad culpam: is enim, qui cum tenetur loqui, tacet, pro consentiente habetur, ut colligitur ex L. *de ætate. §. qui tacuit. ff. de interrog. act.* cap. *si præstitum. de confess.* lib. 6. ita cum Panormitano & aliis docet Tamburinus tom. 3. disp. 1. q. 3. n. 1. & 2.

Obligantur suam mentem apertè declarare sub peccato.

261. Quod verum est, licèt probè sciant propriam sententiam à Præside Capituli malè ferendam, juxta sententiam enim Augustini ad Casulanum relatam à Gratiano in cap. *Quisquis.* 11. q. 3. Quisquis metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram DEI super se provocat, quia magis timet hominem quàm DEUM. Et paulò post uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium facit; ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat.

Sine formidine sententiare debent.

262. Ex quo constat non obligari hos Definitores, ut stent pro voluntate Abbatis Generalis in his casibus; quandoquidem in iis Generali non subduntur, nec contra proprium dictamen rationis

Corollarium.

tionis obsequi debent aut possunt, etiam sub obedientia jubenti; quia ejusmodi jussio temeraria excederet limites potestatis jubentis; & ut injusta tolleret jus Abbatibus Diffinitoribus discutiendi, & examinandi, aut definiendi, prout Religioni universæ salubrius & utilius in Domino visum fuerit. Ergo aut apertè consentiendum est, aut expressè servatâ modestiâ & gravitate juxta proprium dictamen rationis contradicendum.

263. Dico 3. Abbates Diffinitores tenentur sub peccato mortali servare secretum in iis, quæ in Capitulo Generali aguntur.

PP. Diffinitores tenentur ad servandum secretum.

264. Id constat; quia revelare secretum in rebus gravibus est mortale peccatum in genere suo, juxta Sotum *de tegendo secreto*. memb. 1. q. 1. & 2. & alios. Cujus ratio est; quia ex iis gravissima tàm publicis quàm privatis personis, totique Ordini detrimenta evenire solent, ad quæ præcavenda à Religionibus benè ordinatis secretum sub præcepto sanctæ obedientiæ injungitur & contravenientes severè puniuntur: propter quæ ita sentiunt Rodriq. tom. 2. q. 36. art. 3. Miranda tom. 2. q. 17. art. 5. & videre est in propriis & aliis constitutionibus Cong. Cassinensis p. 1. q. 13. apud Tamburinum citat. q. 5. num. 3.

CAPUT X.

De Potestate Capituli Provincialis & Conventualis,

Exponitur generatim potestas Capituli Provincialis.

265. CApitulum Provinciale, 1. cùm tantùm possit, quantùm tota Provincia, ut constat ex cap. 1. 193. idque Provinciam totam possit suis statutis obligare, ut constat ibidem, plura de hoc superaddere non est necesse, cùm servatâ proportione tantum jurisdictionis habeat in Provincia, quantum Capitulum Generale in toto Ordine. De conventuali solùm inquirendum manet, an ad consilium ab Abbatibus adhiberi debeat, an & in quibus illius consensus requiritur? Circa quod

Differentia inter Capitulum & Conventum.

266. Suppono. Abbatem immediatum cujuscunque Monasterij habere potestatem celebrandi Capitulum Conventuale tùm jure communi, tùm ex constitutionibus & consuetudinibus Religiosorum; idem est de Conventu, quorum hæc est differentia, quod rigorosè loquendo Conventus sit Religiosorum, Capitulum verò sæcularium, ut docet cum aliis Lezana tom. 2. c. 12. n. 24. ex quo infert id totum posse Capitulum Conventuale, quod Conventus, præsertim si constet ex nobiliori parte Monasterij. Potestas autem congregandi Capitulum est penes solum Superiorem, Priorem, vel digniorem aut seniorem, sine quorum consensu celebrari nequit,

nequit, juxta Paulum de Castro in L. 1. §. *in filii. ff. ad trebat.* apud Lezanam citatum. Fieri autem potest tribus duntaxat Fratribus, juxta glossam 10 q. 1. c. 1 verb. *Congregatio.* Hoc supposito.

267. Dico 1. Abbas Cisterciensis in majoris momenti negotiis uti debet consilio Fratrum suorum omnium professorum. *Adhibendi sunt ad consilium FF. professi.*

Patet ex regula S. Benedicti c. 3. *de adhibendis ad consilium Fratribus.* Quoties, inquit Legislator, aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio convocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse, undè agitur, & subjungit causam, ideo autem omnes ad consilium vocari diximus; quia sæpè juniori DEUS revelat quod melius est. Dixi *professorum*, ut excluderentur Novitij, qui non sunt de Capitulo.

268. Dico 2. Abbas in minoris momenti negotiis non totius Conventûs, sed Seniorum duntaxat consilium adhibere tenetur.

Probatur ex eodem cap. cit. Si quæ verò minora agenda sunt in Monasterij utilitatibus, prosequitur Legislator S. Benedictus, Seniorum tantùm utatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Seniores autem sunt Prior, & (si ob multitudinem Religiosorum habeatur) Supprior, Magister Novitiorum, tres aut quatuor Seniores secundùm professionem, ut practicari vidi apud Casſinenses & Montis Oliveti, ut declaratur in eorum declaratorio regulæ p. 1. c. 3. *Quinam sint seniores.*

Senio-

Seniorum nomine veniunt Vicarius Monasterij aut Prior Claustralis, Cellerarius, Magister Novitiorum, Procurator & Senior secundùm professionem.

Vi regulæ consilium Fratrum non consensus requiritur, in rebus sive majoris sivè minoris momenti.

269. Dico 3. Vi Regulæ Abbas tenetur sivè in minoris sivè majoris momenti negotiis consilium Fratrum suorum aut Seniorum, non tamen consensum expectare.

Probatur ex cap. cit. ubi dicitur, & audiens Abbas consilium Fratrum suorum tractet apud se prudenter, & quod utilius judicaverit faciat, & iterum, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, & quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant. Quod itidem disponitur in cap. 65. regulæ.

270. Ex quibus maximè ly *Dicat ipse*, colligo 1. propositionem in Capitulo fieri debere à Præside illius, Abbate nimirum aut ejus Vicario, Priore, vel in hujus absentia (si habeatur) Suppriore, qui si non habeatur, à Seniore secundùm professionem.

271. Quòd autem Abbas consilium requirere debeat, non tamen obligetur ad expectandum consensum consulentis, ratio est, quia consilium excitat quidem ad deliberandum, non tamen obligat ad sequendum L. *in facto. §. rectè. ff. de furto.* Cùm igitur in regula solùm mentio fiat de consilio & non de consensu, illud non hic requiretur.

272. Colligo 2. Vi Regulæ Monarchicum fuisse

fuisse Regimen Cisterciensium Prælatorum in subditos solos, nimirum rexisse absque ulla circa consensum Capitulorum Conventualium dependentia, hoc tamen ex libera acceptatione, & ex specialibus Summorum Pontificum passim citatorum Privilegiis sublatum est, ideo in conclusione addidi, vi regulæ. Hinc.

273. Dico 4. Vi Privilegiorum & Decretorum Sedis Apostolicæ & liberâ acceptatione & usu Ordinis Abbas in bonis immobilibus alienandis aut majoris momenti negotiis consensum Capituli Conventualis, aut sanioris ejus partis expectare tenetur, quod etiam probabiliter ad bona mobilia, quæ servando servari possunt, extenditur.

In quibus rebus vi Privil. & liberâ acceptatione & usu etiam FF. consensus requiratur.

274. Probatur ex dictis suprà de actibus sine Capituli Generalis licentia invalidis, & patet ex declaratione Innocentij IV. qui districtè prohibet, nè terras, seu quodlibet beneficium Ecclesiæ Cisterciensi collatum liceat alicui personaliter dari, sivè alio modo alienari absque consensu totius Capituli vel majoris vel sanioris partis ipsius. Si quæ verò donationes vel alienationes aliter quàm dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse decernit. Videatur ipsum Privilegium, ut etiam appareat in quibus requiratur non solùm consensus Capituli Conventualis, sed etiam Generalis.

275. Dico 5. Non tenentur Abbates expectare consensum Capituli Conventualis in po-

nendo

Exponuntur alia, in quibus Abbas Conventualis consensum Conventûs sui expectare non tenetur.

nendo Priorem, reliquosque Decanos & Officiales.

Probatur ex Regula Benedictina cap. 65. Itaque, inquit D. Benedictus, nos providemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio, Monasterij ordinationem; nec hæc potestas iis sublata est per Decreta Pontificum vel Capitulorum aut Abbatum Generalium authoritatem, ergo in his non tenentur expectare consensum Conventûs, quòd praxis probat.

276. Dixi *Non tenentur*, quia quod id possint usus & experientia sæpè docuit, esse sæpè convenientissimum. 1. In bonum communitatis, quæ citius & accuratius quandoque solet obedire, quem ipsa elegit, quàm quem superior etiam annuente Capituli voluntate posuisset. 2. In bonum Prioris, tùm quia facilius voluntariè sibi subjectos regit, tùm quia Sede Abbatiali vacante, sic positi Prioris officium non expirat, nec ab officio removeri potest.

277. Quales autem debeant esse Officiales & Ordinarij, de Decanis videatur caput regulæ 21. Cellerario & Oeconomo cap. 31. Ostiario 66. artificibus 57. circa infirmos 37. exceptores hospitum 33. hebdomadarium 38. septimanarium coquinæ 35. De Vicario autem seu Priore videatur regulæ Benedictinæ caput, *Qualis debeat esse Abbas*. Ubi omnia, quæ de Prælatis dicuntur, de Vicario ipsius Priore dicta sunt, cujus

ratio

ratio eſt, quia de hoc nulla alia fit ſpecialis mentio in regula. De Priore autem ſpecialiter loquitur Innocentius III. in cap. *Cùm ad Monaſterium. §. Prior autem. de ſtatu Monach.* Prior autem præ cæteris, inquit, poſt Abbatem potens ſit in opere & ſermone, ut exemplo vitæ, verbóque doctrinæ Fratres ſuos inſtruere poſſit in bono, & á malo etiam revocare, zelum religionis habens ſecundùm conſcientiam, ut delinquentes corripiat & caſtiget, & obedientes foveat & confortet.

ELUCIDATIO JURISDICTIONIS QUORUMCUNQUE CISTERCIENSIUM ABBATUM.

PARS TERTIA.

CAPUT I.

Qualisnam ſit Juriſdictio Abbatum Ciſterciensium, & in quos ea ipſis competat?

278. Dico 1. Abbates Ciſtercienſes habere ordinariam jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos regulares, tàm Monachos quàm Moniales: patet ex dictis, & clariſſimè conſtat ex Bullis Innocentij VIII. *Romani.* & poſt Concilium Tridentinum ex Privilegio Gregorij XIII. quæ ita clara ſunt, ut explicatione non egeant.

279. Dico 2. Eam poteſtatem dictis Abbatibus competere etiam in familiares, domeſticos & famulos, quam habent in Religioſos, ut patet ex iiſdem Privilegiis: hi enim ſunt exempti à juriſdictione Epiſcoporum, tùm vi communicationis Privilegiorum, ut docet Tamburinus

rinus tom. 1. disp. 17. n. 3. Rodriq: tom. 2. q. 86. tùm ex specialibus Privilegiis Cisterciensi Ordini concessis à citatis hic & alibi Summis Pontificibus.

280. Familiarium autem nomine hic veniunt, qui Monasteriis actu deserviunt, & illius expensis vivunt, undè commensales dicuntur, cap. *Sicut nobis. de verborum significatione.* in 6. nec desinunt esse familiares, si aliquo tempore absint modò sint reversuri. ita Lamas p. 1. c. 5. §. 11. Rodriquez & alij. *Qui sint familiares.*

281. Dico 3. Abbates dictos eandem habere jurisdictionem quasi Episcopalem in vasallos & subditos. Hi enim (cum in dictis Bullis specialiter nominantur exempti ab omni jurisdictione Episcoporum) nè sine pastore eos esse contingat, quasi Episcopali jurisdictioni dictorum Abbatum sunt subjecti. De his Alexander III. sic statuit: *Vobis*, inquiens, *& Ordini vestro concedimus, quod firmarij tenentes seu servientes vestri in terris vestris situati à jurisdictione cujuscunque judicis ordinarij Ecclesiastici sint quieti, & liceat vobis de cætero in Capitulo vestro de adulterio, & aliis fornicationibus eorum vobis & alius Commissariis vestris eos corrigere, necnon etiam divina audire in Capellis vestris, & Sacramenta recipere.* Per *Firmarios* autem intelliguntur subditi, cùm generatim dicat Pontifex, in terris vestris situati. Sed clarius eam jurisdictionem concessit in subditos sæculares Innocentius VIII. cit. p. 1. c. 6. *Competit jurisdictio Cisterciens: in vasallos & subditos.*

n. 32. *Ad Romani Pontificis.* Ad quam Lectorem remitto.

Competit jurisdictio Cisterciens: in populum & Ecclesias plenè subjectas.

282. Ex quo dico 4. Abbates Cistercienses in populum, saltem earum Ecclesiarum, quæ pleno jure ad eos pertinent, habere jurisdictionem talem, qualem Episcopi habent in sua Diœcesi. Ut apertè docet Suarez 3. p. tom. 4. disp. 28. Lessius de Justitia lib. 2. cap. 41. & passim alij, de quo infra Cap. 3. n. 306. ubi, ut ibidem clarius exponetur, veniunt nomine Ordinarij, Diœcesani & Episcopi, nisi subjecta materia aliud deposcat. Undè quidquid Episcopis vi Concilij Tridentini, idipsum servatâ proportione Abbatibus Cisterciensibus conceditur.

283. Dixi *saltem*, quia experientiâ & consvetudine habetur noluisse Cistercienses integra in hoc frui exemptionis gratia, cùm multi defacto illis subjiciantur, quoad temporalia, non verò quoad Parochiam, quod videtur aliquâ cum Episcopis transactione factum, ut populus certis terminis & limitibus contineretur, atque ita facilius per Curatum regeretur.

284. Dubitari hic fortassis posset, utrum ea jurisdictio in Abbates Cisterciensium translata ipsis ita competat, ut simul ab Episcopo exerceri nequeat.

CA-

CAPUT II.

An ejusmodi jurisdictio competat Cisterciensibus privativè ad Episcopos?

Iurisdictio Cisterciensium in suos competit privativè ad Episcopos.

285. DIco 1. Abbatibus Cisterciensibus competit jurisdictio in suos religiosos privativè ad Episcopos. Ita docet generatim Rodriq: tom. 1. q. 36. art. 1. Cockier d. 4. p. 23. n. 3: & apud Forerum thes. 25. c. 2. Baldus *in Authen: habita* n. 23. versu *Et adverte, in casu Visitator. de caduc. tollendis.* Cujus ratio est quòd nequeant duo Domini esse in solidum, ut communiter docent Doctores in L. *ut si certò. §. si duobus. ff. commod.* quæ ratio si non sufficiat, hæc sit potior quòd hæc jurisdictio sit spiritualis, ut docet cum Roderico citato Speculator de præser. n. 8. ergo utpotè indivisa consistit in solo Ordine, adeòque non simul in Episcopis.

Probatur.

286. Hoc ante Concilium Tridentinum præter alios concessit Innocentius VIII. suprà citatus p. 1. n. 32. ubi Cistercienses eorumque subditos, &c. eximit ab omni jurisdictione quorumcunque Papâ inferiorum prorsus & totaliter, ut ibidem legenti patebit. Et post dictum Concilium idipsum iisdem indulsit Gregorius XIII. suprà n. 52. ubi jurisdictionem hanc dicto Ordini tribuens, utitur termino privativo, *duntaxat.* ergo cùm Cistercienses totaliter exempti, ipsique solùm ordinariam jurisdictionem in

suos exercere possint & debeant, evidens est Episcopis nullam in eos vi suarum constitutionum relictam esse jurisdictionis potestatẽ, ut patet ulterius ex Privilegiis Honorij III. Joannis XII. Urbani IV. Innocentij IV. Alexandri IV. & aliorum, quæ videantur in Bullario Cisterciensi.

Confirmatur. 287. Quod specialiter probatur in Ordine ad Religiosos. Nam nè ulla cuipiam præberetur ansa se ab Ordinis obedientia & jurisdictione subtrahendi, aut cuipiam alteri sese in præjudicium Ordinis subjiciendi, voluit citatus Joannes Papa XXII. *Ad Cisterciensem.* & Eugenius IV. *Ad Universalis.* nè Abbates, qui sunt de Ordine dicto, etiam à Sede Apostolica promoti, ullo modo se à jurisdictione Ordinis subtrahere queant, sed ut universi Ordinis potestati subdantur.

288. Quapropter à primis Cisterciensium Patribus æquissimè penes ac severissimè statutum fuit, ut patet ex lib. Diff. dist. 7. c. 2. nè emergentes in Ordine causæ alibi quàm intra Ordinem definiantur, tenore sequenti.

Statutum primorum Patrum Ordinis Cisterciens: 289. *Quando verò scandalum dissensionis, aut quæcunque querelæ litigiosæ in Ordine oriuntur, nunquam extra eant, sed intra & per personas Ordinis sopiantur, discretè & charitativè reducantur ad Ordinis unitatem. Qui contravenire, aut ad aliam audientiam, appellare, vel quemcunque alium Judicem adire, vel judicium Capituli Generalis recusare, & sic vel quocunque modo schisma facere in Ordine,*

Ordine, vel contumaciter excitare, vel procurare præsumpserit, à DEO & ab Ordine anathema sit, & si Abbas fuerit deponatur, si autem Monachus vel Conversus fuerit, sine spe revisionis à domo propria emittatur. Ea verò quæ congruè aliter terminari non poterunt; Capitulo Generali proponantur, & quod fuerit per Capitulum generale ordinatum, irrefragabiliter teneatur. Circa quod vide Novellas Anno 1350. dist. 8. c. 2. & alibi passim.

290. Quod Capituli Generalis Decretum, Sancta Sedes Apostolica omninò fixum & ratum habuit: unde Alexander IV. universis & singulis personis Ordinis nostri in virtute obedientiæ districtius inhibuit, nè aliqua ex personis, prætextu alicujus quæstionis aut difficultatis, in eodem Ordine emergentis, extra illum appellare præsumat, decernens eos, qui secus egerint, sivè sint Abbates sivè Monachi vel Conversi, rigori Ordinis, contra tales inibi introducto, debere non obstante appellatione subjacere. *Dictum statutum confirmatur.*

291. Hoc præterea cavit Pius II. Anno 1459. nè alibi quàm coram Prælatis suis, ac demùm in Capitulo Generali Religiosi Cistercienses pro quibuscunq; causis & querelis comparere, ac de jure ac justitia respondere teneantur. Quod si secùs egerint, sententiam excommunicationis incurrunt, ac eo ipso à jure suo cadent.

292. Voluit tamen Bonifacius VIII. constit. *Ad augmentum continuum.* nè Ordo in correctione Regularium personarum rimas & apices juris *Quis modus servandus in judicio*

regula ri. juris consectetur, aliàs ut ipse ait: Rigor disciplinæ regularis lentescet, & multiplici laxatione torpescet. Quam constitutionem confirmavit Concilium Basileense.

Controversiæ in Ordine sunt decidendæ. 293. Enim verò idipsum severissimè omnium Innocentius VIII. const. *Et si pro cunctorum*, Anno 1487. disposuit: hic enim utpote Ordinis amator, postquam motu proprio, & ex certa scientia omnia prædicta confirmâsset, omnes querelas, causas, lites & controversias suo tempore dependentes tàm in Curia Romana, quàm extra, coram quibuscunque Judicibus in quacunq; instantia, etiam per appellationem, inter quascunque personas Ordinis ad se advocavit, & eas decidendas per Abbatem Cistercij & PP. Abbates, vel ad Capitulum generale respectivè remisit, cum irrefragabili decreto, ut hujusmodi querelæ, quæstiones & controversiæ, sicut & illæ, quas deinceps inter personas Ordinis oriri contigerit, cum omnibus incidentiis omni appellatione postpositâ, præterquam in casu denegatæ justitiæ vel illati contra statuta & ordinationes hujusmodi gravaminis, per dictum generale Capitulum, per Abbatem Cistercij & alios summariè & de pleno absque strepitu & figura judicij, sola facti veritate inspecta audiantur, & juxta statuta & ordinationes Ordinis decidantur.

Pœna contravenientium. 294. Qui oppositum præsumpserit, aut ad alium extra Ordinem hujusmodi appellationes inter-

interposuerit, vel vocatus non comparuerit vult idem Pontifex, ut causam perdat & excommunicationis aliasque sententias & poenas in Ordinis constitutionibus contentas incurrat, eoque ipso, re, de qua contenditur, privatus maneat.

295. Hujus ejusdem Summi Pontificis hac de re extat alius motus proprius eodem anno 1489. qui non solùm omnem, sed etiam ad Sedem Apostolicam appellationem (*excepto casu denegatæ justitiæ & manifestæ injuriæ*) tàm personis Ordinis, quàm Commendatariis interdicit, sed etiam declarat nullibi literis Apostolicis in futurum illi suæ constitutioni derogari posse, nisi eæ de Concilio Cardinalium expeditæ, & ternis vicibus successivè Abbati Cistercij, Visitatoribus & Capitulo generali fuerint intimatæ. Auferendo ab omnibus Judicibus facultatem aliter interpretandi aut definiendi, decernendoque singulariter, nè à Visitatoribus Ordinis appellatio fiat sub poena suspensionis à divinis quoad Episcopos aut Superiores, excommunicationis verò, & amissionis sui juris quoad inferiores.

Ab Ordine appellare non licet ad Sedem Apostolicam excipe casum denegatæ justitiæ & manifestæ injuriæ.

296. Hæc omnia robur novum acceperunt post Concilium Tridentinum à Gregorio XIII. const. *Supernâ dispositione.* supra n. 74. & 75. qui motu proprio ex certa scientia, & in plenitudine potestatis statuit, districtè præcepit, & interdixit, nè ulli omninò Apostolicæ Sedis Legati

Non licet Cistercienses appellare ad Nuncios aut Legatos Apostolicos.

vel Nuncii, appellationes à sententiis & decretis per Abbatem Generalem Cisterciensium vel ejus Vicarios latis & promulgatis, interpositas ullo modo recipiant aut admittant, neque de illis cognoscant, seu illorum etiam quocunque respectu, Monasteria visitent, sed quotiescunq; ad illos aliquid in Monachos aut personas hujusmodi animadversione dignum deferri contigerit, aut Vicarium istius Ordinis in illa Provincia institutum, monendum curent, qui delinquentes sub pœna superiùs ad id constituta exemplariter corrigere & punire teneantur, districtissimè injunxit.

Prædicta probantur esse in usu.

297. Hæc autem in dissvetudinem nunquam abiisse certum est: cùm hactenus Cisterciensium Ordo in possessione existens usque modo eâdem authoritate & jurisdictione à Sede Apostolica per tot annorum spatia successivè specialissimè concessa, palàm utatur, & ut constat ex proximè celebrato Capitulo anno 1651. Patres dicti Ordinis capitulariter in Domino congregati, *Præcedentium vestigiis insistendo*, ut ajunt, districtissimè in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna idem prohibent.

298. Et confirmant definitionem Capituli generalis celebrati anno 1605. neque regularis persona, Ordinis negotio ad superiores aut inferiores quomodolibet spectantia, directè vel indirectè, per se vel per alios ad Tribunalia ex-

tra Ordinem pertrahere, & quoquo modo perferre, aut aliquam Ordinis personam ibi quacunque causa convenire audeat vel præsumat. Et si quæ Ordinis persona nec Deum timens nec homines, memorialia & libellos ullos quibusvis Ecclesiasticis seu temporalibus Dominis aut Principibus exhibere aut porrigere attentaverit contra Fratres & maximè contra Prælatos, in quibus falsum aliquid sit repertum, districtissimè puniatur, sitque perpetuò infamis & inhabilis ad quæcunque officia & beneficia, nec ei in tribunalibus de cætero ulla fides adhibeatur.

299. Quibus & aliorum Summorum Pontificum Privilegiis innixus suprà memoratus Abbas Aulæregensis per Boëmiam & adjacentes Provincias Visitator generalis, cùm à Consistorio Pragensi in causa cujusdam Religiosi graviùs delinquentis annis præteritis eundem suo Tribunali sistendum peterent, non misit; sed juxta Ordinis statuta exemplariter & regulariter absque ulteriori factâ à præfato Consistorio inquisitione punivit & correxit, observans præterea à proximo Generali Capitulo factam constitutionem, quâ statuitur, ne locorum Ordinarii ad ullum jurisdictionis actum pervenire relinquantur.

In contingentia facti.

CAPUT III.

Solvuntur Argumenta in contrarium desumpta ex Concilio Tridentino.

Objectio 1. ex Concil: Trident. 300. Dicunt 1. Per Concilium Tridentinum Sess: 7 de Reformat: c. 8. Locorum Ordinarii Ecclesias quomodolibet exemptas authoritate Apostolicâ singulis annis visitare jubentur, non obstantibus quibuscunq; ergo saltem ea pars jurisdictionis Episcopis est relicta, imò injuncta.

Solvitur. 301. Respondetur, id solùm de Monasterijs Diœcesi Episcoporum subjectis intelligendum esse, ut fusè probat Rodriquez tom. 1. q. 36. art. 3. non verò de iis, quæ sunt nullius Diœcesis, qualia sunt Monasteria Cisterciensia, ut probabitur Cap. 7. §. *Confirmatur*. 2.

Instantia ex dicto Concilio resolvitur ex eodem. 302. Neque dicas hanc solutionem nullam esse, cùm statuatur in dicto Concilio Sess: 24. c. 9. de Reform: quòd Episcopus visitet Ecclesias, quæ *nullius Dioecesis* esse dicuntur. Nam id intelligitur solùm de Ecclesiis sæcularibus, non verò de regularibus: cujus ratio habetur ex ipso Concilio Sess: 21. de Reform: c. 8. ubi Episcopus tenetur visitare commendata Monasteria, etiam Abbates & Prioratus: sed non illa, ubi viget regularis observantia. Et ideo Sess: 25. C. 20. ipsa Synodus apertè declarat eam jurisdictionem competere Abbatibus Ordinum Capitibus

tibus respectu suorum Monasteriorum, & regularium, quæ Sess: 12. c. 1. circa visitationem Monasteriorum commendatorum respectivè ad Episcopos definita fuerant.

303. Ex quo concluditur hanc jurisdictionis partem Episcopis nullatenus relictam esse; nè etiam, ut benè advertit citatus Rodriquez, & est confirmatio responsionis, Episcopi indirectè cognoscerent de Regularium causis, quod Tridentinum non intendit. *Statuitur conclusio.*

304. Dicunt 2. Concilium Tridentinum Sess: 7. c. 8. & Sess. 24. c. 9. & 10. expresse meminit, quòd Ordinarij cujuscunque loci teneantur singulis annis visitare Ecclesias non obstantibus, &c. ergo hæc visitandi authoritas Episcopis competit cumulativè. Respondeo consequentiam esse malam: cùm in contrarium pro Cisterciensibus concludat: nam per ly *Ordinarij* non veniunt Episcopi, qui Religiosorum exemptorum, adeòque & Cistertiensium Ordinarij non sunt; ut patet ex dictis, & constabit amplius ex dicendis: sed etiam Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. *Objectio 2. ex Concil: Trident:* *Solvitur.*

305. Unde sensus Concilii est, quòd quicunque judex Ordinarius est, sit obligatus visitare Ecclesias sibi subjectas, sivè ille sit Episcopus, sivè judex ordinarius, major aut minor, dummodò habeat jurisdictionem quasi Episcopalem. Quod communiter notant Doctores cap. *Decernimus, de Judiciis*, verb. *Ecclesiarum Prælati*. Navarrus *Exponitur sensus Concili Trident.*

varrus conf. 9. de Privil: Felinus in repert: verb. *Ordinarius.* & alii multi apud Cockier lib. 1. p. 1. n 9. Et innuitur in ipso Concilio Sess. 14. de Reform. c. 5. ubi dicitur, ut coram Episcopo vel *alio* (quod hic observandum est) *superiore Ordinario* in criminalibus & mixtis causis accusari & conveniri, ac contra eos inquiri & procedi possit.

In actibus jurisdictionis nomine Episcopi veniunt etiam Abbates Cistercienses jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes.

306. Hæc doctrina generalis, quam etiam docet cum aliis Rodriquez tom. 1. q. 67. art. 3. proderit ad solvendas multas difficultates, quæ ex decretis Concilii Tridentini suboriri possent. Quod scilicet ubi fit mentio Ordinariorum, in hujusmodi jurisdictionis actibus nomine Ordinarii non solùm veniant Episcopi: sed etiam alii judices inferiores aut superiores ordinariã, aut quasi Episcopalem jurisdictionem exercentes, juxta Stephanum Gratianum tom. 1. discept. forens. cap. 212. adeòque quod Tridentinum aut Summus Pontifex Ordinariis committit, id non solùm commissum censetur Episcopis, sed etiam Episcopalem quasi jurisdictionem habentibus, ut sunt Cistercienses, juxta Flamm: de rrsignat: benef: L. 3. q. 11. Navarrum cons. 11. de clandest: desp: & alios communiter. Quod etiam de iisdem sentiunt in favorabilibus diversi apud cit. Cockier n. 8. Undè excipiuntur solùm ea quæ ex proprietate rei solùm per Episcopum exerceri possunt, ut est conferre Ordines, de quibus tamen infra, oleum & chrisma con-

confecrare, confirmare, & alia similia, quæ propriè ad Episcoporum officium spectare dignoscuntur.

307. Dicunt 3. Concilium Tridentinum Sess: 25. c. 14. statuit, ut regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus à suo superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniatur; ergo Episcopus saltem Cistercienses delinquentes cum scandalo extra Monasterium incarcerare, processum formare, & sic eos puniendos suis superioribus remittere potest. *Objectio 3. ex Concil. Tridént.*

308. Respondeo hoc malè inferri: nam vi hujus decreti delinquentis Abbas non tenetur servare factum processum aut modum puniendi præscriptum ab Episcopo; hic enim defectu jurisdictionis nullus est. Ut docent diversi apud Dianam p. 3. de dub. regul. resolut. 132. Id solùm tribuitur vi dicti Concilij Episcopo, ut de notoreitate delicti à religioso commissi Abbatem informet, nè ullatenus illius ignorantiam prætendere aut punitionem negligere præsumat. Quod pluribus probat Rodriq. in comp. qq. regul. resol. 62. n. 8. argumenta in contrarium facta solidè resolvens. Declarat Congregatio Cardinalium in declarationibus ad dictum cap. *Resolvitur. Cisterciens: delinquentes non esse puniendos ab Episcopis.*

14. Con-

14. Concilij, ejusmodi regularem nullo facto processu statim remittendum esse, etiam posito quòd superior nullam instãtiam faceret. Quòd si autem Abbas acceptâ de delicto sufficienti informatione officium suum negligat, devolvitur idipsum ad Abbatis illius superiorem Abbatem Patrem immediatum, aut Visitatorem, aut in defectu horum sicut & Capituli generalis ad Summum Pontificem, aut hujus delegatum. De quo plura videantur Capite sequenti.

Objectio 4. ex Concil. Trident. 309. Dicunt 4. Concilium Tridentinum Sess: 25. cap. 4. cavet, nè regularibus à suis Conventibus exire liceat prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento receptus fuerit ab Ordinario locorum, tanquam desertor sui instituti puniatur.

Resolvitur & explicatur sensus Concilii. 310. Ad quod respondendum est cum Emanuele Sa verb. *Religio.* n. 71. hoc non obstare ei qui fugit nimis sæviente superiore, ideóque, juxta Navarrum comment. 2. de Regularibus n. 61. & comment. 3. n. 31. Azor tom. 1. lib. 12. c. 11. q. 7. Rodriq: tom. 1. q. 29. art. 2. & q. 30. art. 4. & alios, supradicta verba intelligenda non esse de adeunte superiorem ex gravi causa, si nimirum à suo superiore nimium fuerit gravatus & iniquè vexatus. Quare solùm prohibet, nè quis regularis è Monasterio exeat sine licentia sui superioris etiam ut adeat superio-

riorem altiorem; non autem prohibet, nè graviter molestatus per viam justi gavaminis, aut appellationis justæ verbo vel facto interpositæ possit adire superiorem ad conquerendum.

311. Undè arbitratur Diana p. 3. tract. 2. de regul. resol. 56. quòd licet Ordinarius possit talem capere per territorium suum transeuntem juxta tenorem Concil. Trid. (quod tamen ibi expressè non concedit) attamen eum justè nec retinere nec punire potest, si fidem faciat, se gravatum appellâsse, & de gravamine protestatum iter arripuisse ad superiorem, ideòque licentiam scripto se non deferre: vel quia Abbas eam dare noluit: vel quia justè metuit eã petere, nè in carceres conjiceretur, aut aliis modis cruciaretur: vel quia in tali casu non teneretur religiosus petere licenriam, siquidem consensus petendus non est ab eo, qui vexat iniquè, vel de cujus culpa corrigenda aut emendanda curatur. Nec verò simile est addit Diana citatus voluisse Concilium punire actus licitos, & ut non possit justa de causa recurri ad superiorem.

Vi Concilij Tridentini Episcopus religiosum per territorium suum superiores Ordinis adeundi causa transeuntem, nec retinere nec punire potest,

312. Ex quibus infero 1. Si Episcopus in judicio vel extra procederet contra ejusmodi transeuntem ad suos superiores, aut etiam contra quascunque personas Ordinis Cisterciensis earùmque res in causa sivè civili sivè criminali aut spirituali, processus, sententia indè secuta ipso facto irrita est defectu jurisdictionis, ut docent Henriq: lib. 7. c. 25. Rodriq: tom. 2. q. 64. a. 6. & alij.

Corollarium 1.

& alij. Et declarant sæpè citata Summorum Pontificum decreta, quorum Privilegio in judicio producto si judex nihilominus proferat sententiam, non transit in rem judicatam, nec debet mandari executioni, aut si mandata sit, totum reponendum est tanquam attentatum. Dixi *Privilegio producto*, quia juxta Rodriq: cit. art. 7. exempti citati debent allegare Privilegium proponendo declinatoriam fori, quo facto iterum recedant, prout apud eum docet Socinus in cap. *Si Clerici*. n. 8. de foro competenti. Idque verum est, si causa quæ fundat jurisdictionem Ordinarij exprimatur. Ut docet Covarr: in reg. jur. apud eundem.

Modus procedendi in defensione Privilegiorum in judicio.

313. Addo, imò licet Episcopus formato processu latam sententiam executioni mandet, nec Abbas declinatoriam fori objiciat, processus & sententia indè secuta nihilominus nullius roboris sunt: ac proindè exceptio declinatoria exemptionis non modò ante: sed etiam post contestatam litem semper opponi potest, juxta Cockier & alios suprà.

Corollarium 2.

314. Infero 2. Excommunicationes aut quascunque censuras ratione dictorum aut aliorum ab Episcopis ordinariis latas utpotè nullius roboris in neutro foro esse servandas, juxta jus commune cap. *Ex parte. de Privilegiis.* & cap. *Cum quorundam. de excessibus Prælatorum.* & ita docent Navarrus cit. c. 27. n. 3. Sotus 4. dist. 4. disp. 44. q. 1. art. 3. Henriq: lib. 7. c. 25. n. 7. in cap.

in cap. *Volentes. de Privilegiis.* in 6. Sayrus in Theol: morali lib. 4. cap. 2. n. 11. Cockier p. 2. q. 45. & q. 50.

315. Quod ipsum particulare esse in Religionibus exemptis notat Sanchez lib. 7. disp. 33. n. 23. ut si privilegium (quale Cisterciensibus concessum dixi sæpius ab Innocentio VIII. Gregorio XIII. & aliis Summis Pontificibus) speciale habeant, nè scilicet possint excommunicari, suspendi, interdici, &c. nec possit Episcopus contra eos censuris procedere, etiam in iis casibus, in quibus aliàs jurisdictionem à Concilio Tridentino concessam habent, nisi id expresse in iis concedatur.

Adverte speciale Privilegium de non ferendis censuris, &c. in Cistercienses.

CAPUT IV.

Juxta præmissa nonnullæ Quæstiones de Legatis seu Nunciis Apostolicis dissolvuntur, maximè in casu negligentiæ, & appellationis Cisterciensium.

316. CErtum est ex præmissis omnes causas in Ordine Cisterciensium emergentes ad ipsum eundemque Ordinem pertinere privativè ad Episcopos, & quoscunque alios, etiam Legatos Apostolicos. Circa hos tamen specialiter observandum est, alios dici tales à latere, & sunt ut plurimum Cardinales, qui cum amplissima authoritate Apostolica mittuntur in Provinciam. Alij Legati nati, qui ex officio

Alij sunt Legati à latere, alij Legati nati.

quod gerunt habent simul adjunctam dignitatem Legati. Alij verò cum restricta potestate ad certa negotia expedienda in Provincias mittuntur ut judices delegati. Hoc notato.

An concedatur aliqua potestas Legatis à latere in Cisterc.

317. Quæri potest an Legati à latere habeant à Summo Pontifice delegatam potestatem in Cistercienses? Ad quod respondet affirmativè Rodriq: tom 2. q. 126. art. 3. & juxta Barbosam ad Sess: 22. c. 9. n. 19. possunt visitare Ecclesias exemptas cumulativè ad Episcopum, prout nimirum Episcopo permissum est vi Concilij Tridentini, quibus vigore illius nil conceditur, nisi totus Ordo suo officio desit, juxta ea quæ probata sunt Capite præcedenti ad concl. 3. n. 307.

Notandum benè.

318. Circa quod tamen specialiter observandum est, quod cum potestas eorum Legatorum non semper nec in omnibus sit eadem: inspiciendæ sunt literæ Apostolicæ, quibus aliquod jurisdictionis munus ipsis committitur. Quibus visis.

Qualiter per rescripta Apostolica immunitatib. Cisterciensi derogari possit.

319. Dico 1. Si specialis specifica & individua de Cisterciensibus mentio non habeatur, nullis rescriptis Apostolicis eorum immunitatibus derogatur.

320. Hujus ratio habetur tùm ex jure communi cap. *Cum ad Ordinem. de Privilegijs.* tùm etiam ex Privilegio Honorij III. *Cum Ordinem.* Urbani IV. *Sacræ vestræ.* Innocentij VIII. *Ad Roman.* Gregorij XIII. *Ex superna.* quæ confirmavit

mavit Innocentius X. ut à Legatis Sedis Apostolicæ personæ Ordinis ad judicium evocari, aut quovis modo directè vel indirectè (nisi de literis Apostolicis de præsentibus de verbo ad verbum fiat expressa mentio Ordinis) molestari possint. quæ omnia fusius videantur in ipsis Bullis.

321. Quocirca nisi ostendant hi, aut quicunque delegati commissam sibi potestatem cum expressa derogatione immunitatis Cisterciensium, nemo hujusmodi Legatorum (quod optimè observandum est) ad actus ullius jurisdictionis in Ordine dicto exercendos admitti debet. N B.

322. Qualiter etiam Cistercienses non teneantur ad præstationem aliquarum collectarum, subsidiorum aut aliarum exactionum illis aut domibus illorum à Sede Apostolica, aut à Legatis ejusdem imponendarum per literas Romani Pontificis, quæ expressam de ejusmodi indulgentia & Ordine eorum non fecerit mentionem, etiamsi contineatur in eisdem literis, quòd illud, quod per eas præcipitur, fiat aliqua indulgentia non obstante, &c. ut statuit præter alios citatus Honorius III. *Religionis.* ubi præterea declarat quascunque censuras in contrarium non tenere. Hinc. *An Cistercienses tribuere teneantur Legatis Apostolicis.*

323. Dico 2. In causis in Ordine emergentibus & à sententiis inibi latis non potest fieri appellatio ad judicem extra Ordinem, Legatum aut delegatum Sedis Apostolicæ, nisi ea *Et quando non licet appellare ad judicium Legatorum*

 ipsi

Apostolicorum. ipsi expressè concessa esset potestas juxta dicta.

324. Hinc est, quòd cùm Abbates dicti Ordinis superioribus suis & CapituloGenerali, &, qui ejus potestate plenariâ fungitur, Abbati Generali, aut etiam aliis superioribus Abbatibus, qui monasteriorum Patres immediati vocantur, subsint, eorumq; superioritatem & jurisdictionem agnoscere debeant, hinc inquam est quòd eorum visitationes, correctiones, & latas sententias juxta Statuta Ordinis admittere teneantur: ad quos etiam ipsi & regulares eorum appellare possunt: præsertim cùm appellatio fieri debeat ad superiorem judicis proximi & immediati, qualis extra Ordinem est solus Pontifex, aut is cui ab ipso id muneris expresse committitur, & de eodem ternis vicibus Visitatoribus & Capitulo Generali fuerit intimatum. alias autem à Capitulo Generali ad Apostolicam Sedem nullatenus appellare licet, nisi in casu *denegatæ justitiæ & manifestæ injuriæ*, juxta Privilegium Innocentij VIII. & aliorum alibi citatorum Summorum Pontificum.

Ad quos appellatio fieri possit.

325. Ex quibus facilè colligitur, quisnam in casu negligentiæ sit superior, aut cui competat ejusmodi jurisdictionis munus, si nimirum Abbas suo officio desit. Eo enim casu ad id tenentur Patres immediati & Visitatores, & his negligentibus Capitulum Generale, aut ejus vices gerens Abbas generalis, in cujus defectu ultimata jurisdictio sistit in Summo Pontifice, ex eo quod

Quis sit superior in casu negligentiæ.

quod dictum Ordinem sibi immediatè subjecerit. Aut in eo, cui Papa id muneris expressè committit, & delegat.

326. Dixi *delegat*: quia quidquid hoc casu agitur, authoritate non ordinariâ sed delegatâ exercetur, ut patet: cùm enim juxta Concilium Tridentinum Sess: 24. c. 10. quidam Episcopi in quibusdam locis visitare molirentur, declaravit Clemens VIII, anno 1595. non posse nec debere Monasteria exempta utriusque sexus ab Episcopis visitari, nisi juxta Sess: 21. c. 8. præscriptum, ubi habetur: *Si in Monasteriis non vigeat regularis observantia, provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium superiores juxta eorum regularia instituta debitam vivendi rationem observent, &c. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitaverint aut correxerint, tunc ijdem Episcopi etiam ut delegati Sedis Apostolicæ eos visitare possint juxta Ordinis Statuta non obstantibus quibuscunque.* *Exponitur Concilium Tridentinum Sess: 24. c. 10.*

327. Ubi colligo. 1. Quòd in dicto Decreto dicantur *admonendi Superiores*. In quo concordat cum iis, quæ dixi supra num. 324. etiam juxta Bullam Innocentij VIII. ternis vicibus nimirum Visitatores & Capitulum esse monendum. Quare non sufficit ad hoc, ut Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat ad aliquem hujusmodi jurisdictionis actum, si solùm ipse Abbas in cujus Monasterio regularis disciplina notabiliter decresceret, admonitus *Corollarium 1.*

non emendet; sed etiam admonendi sunt illius Abbatis superiores, ipsumque Capitulum generale in defectu Vicariorum: quòd si officium suum negligeret, ea corrigendi potestas Episcopis ut delegatis Apostolicis vi Concilij Tridentini concessa censeretur.

Corollarium 2. bene observandum est. 328. Adverto 2. hanc jurisdictionem his casibus ejusmodi aut quibuscunque delegatis Apostolicis cum Ordinis superioribus cumulativam esse. Ita scilicet ut à superioribus Ordinis potestate ordinariâ, ab illis verò authoritate duntaxat delegatâ exerceatur. Quapropter dabitur præventionis locus, quod est optimè observandum.

CAPUT V.

De Potestate Abbatum Cisterciensium circa approbationem & expositionem Confessariorum.

Materia dicendorum. 329. QUid possint approbati & expositi Cisterciensium Confessarij quoad auditionem & absolutionem confitentium tàm sæcularium, quàm regularium, dicam infra Cap. 12. per totum. Hic inquiritur an à suis Abbatibus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus ad id approbari possint?

Cisterciens: potestas expo- 330. Dico 1. Cisterciensium Abbates possunt suos regulares exponere ad audiendas confessiones suorum tàm sæcularium quàm religiosorum

sorum subditorum irrequisito Episcopo, & absque ulla illius præhabita approbatione.

nendi Confessarios. Probatur.

331. Ratio est clara, quam fusè ostendit Stephanus de Aluin: de potest: Episcop: & Abbatum cap. 21. quia actus approbandi non est actus ordinis Episcopalis, seu qui respiciat consecrationem, sed est tantùm jurisdictionis non specialiter à Summo Pontifice delegatæ, sed ordinariæ ratione muneris, ita ut nomen Episcopi in Decretis Concilij Tridentini potius respiciat jurisdictionem quàm consecrationem. Quod patet, quia Vicarius generalis & Capitulum sede vacante possunt exponere & approbare Confessarios, ut præter citandos Authores docet usus & experientia: sed Cistercienses Abbates respectu suorum subditorum sibi immediatè subjectorum tàm sæcularium quàm regularium habent jurisdictionem quasi Episcopalem. Ergo possunt approbare & exponere Confessarios, cùm hic sit actus jurisdictionis, quæ omnia confirmantur ex Navarro lib. 4. cons. tit. *de sponsal. cons.* 5. quòd Prælatus exemptus possit regulariter omnia ea, quæ possunt Episcopi in sua Diœcesi, circa ea, quæ sunt jurisdictionis, juxta glossam in Clementin. 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis.* verb. *Proprii.*

Actus approbandi respicit jurisdictionem, non consecrationem.

332. Imò circa regularium confessiones nulla est difficultas, & experientia idipsum manifestat. Nec obstat Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 15. circa hoc enim ibi nihil immutatur,

Non obstante Concilio Tridentino.

tur; sed regulares relinquit suorum Prælatorum ordinationibus, utpotè de quorum, ut inquit Forerus thes. 44. prudentiâ & integritate non dubitavit. Quapropter ita docent multi infra Capite sequenti citandi. Unde Regularis cui à suo Prælato Confessarii eligendi sit copia, potest eligere non approbatum etiam sæcularem Sacerdotem, ut docet Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 4. n. 4. Aluinus c. 24. n. 4. & c. 35. n. 6. ex communi.

Quis Confessarius eligendus & à quo.

Limitatur 1. 333. Idipsum tamen benè limitat citatus Forerus, si regulares ordinariè confiteantur, si superiores non prohibuerint, si ex Bulla aut Jubilæo, in quo præcipitur, ut eligendus Confessarius sit idoneus: qui quia talis non est, nisi aut ab Abbate, aut Episcopo approbatus eo casu etiam regulares talem eligere debent.

Limitatur 2. 334. Dixi *nisi superiores prohibuerint*; nam meritò Abbates suis religiosis nonnunquam prohibent, ut dum in Jubilæo aut aliis Bullis conceditur facultas omnibus fidelibus eligendi quemcunque approbatum Confessarium, alium non eligant, quàm ab ipsis designatum. Siquidem illâ generali concessione non intendit Pontifex derogare particularibus Religiosorum statutis, nec eximere Religiosos à voto obedientiæ in perniciem regularis disciplinæ, ut docet Reginaldus lib. 8. n. 37. Rodriq: tom. 1. q. 60. art. 1. & 6. Et juxta hos Forerus thes. 49.

335. Ubi hic idem meritò Abbates cavere asse-

asserit, ut regulares hospites ejusdem instituti transeuntes per Monasteria non eligant alios Confessarios, quàm expositos ab Abbate talis Monasterii, ubi hospitantur: Quamvis aliàs Religiosi iter agentes quemcunque sæcularem etiam non approbatum Confessarium ex tacita sui superioris licentia vel consvetudine legitima eligere possint. Ex Llamas p. 1. c. 5. §. 12. & 13. cum Henriquez, Navarro, & aliis.

Hospites uti debent Confessario Conventuali. Iter agentes Cistercienses An quemlibet Confessarium eligere possint.

336. Movebatur aliquando difficultas circa approbationem Confessarii Monialium Cisterciensium, quasi is regularis ab Episcopo examinandus & approbandus esset. Sed quia Congregatio apud Barbosam in declarationibus ejusdem Concilii n. 3. ad Sess: 25. cap. 9. & n. 1. ad ejusdem Sess: c. 10. censuit nullam authoritatem vel jurisdictionem Ordinarios sibi posse vendicare ex Decretis dicti Concilii in Confessarios Monialium regularibus subjectarum, adeoque nec ab Episcopis examinandos esse, hinc mota quæstio facilè soluta mansit, consonant hæc cum doctrina Azor. *in Instit. moralibus.* p. 1. lib. 13. q. 2. Tamburini *de Jure Abbatissarum.* disp. 16. q. 3. n. 3. qui docet eam esse praxim Romæ, quam ego etiam in Boëmia, Moravia, & Lusatia experior.

Cistercienses Abbates approbant suos Confessarios pro Monialium confessione.

337. Major difficultas videbatur circa audiendas confessiones sæcularium, præsertim cùm Concilium Tridentinum Sess: 23. de Reform: cap. 15. dicat, ad hoc requiri, ut Confessor-

Item pro sæcularium confessionibus ex-

cipiendis.

Solvitur objectio ex Concilio Trident.

sor vel *Parochiale beneficium habeat, vel ab Episcopo approbationem obtineat.* Verùm nec hoc conclusioni nostræ quidquam officit, cùm ibi sermo sit de sæcularibus Episcopo non autem Monasterio subjectis. Tùm quia hos Summi Pontifices à potestate Episcoporum unà cum Monasteriis, &c. prorsus & totaliter exemerunt. Videatur Bulla Innocentii VIII. supra cap. 6. tùm quia respectu ejusmodi subjectorum cujusvis tandem Monasterii nomine Episcopi veniunt Abbates Cisterçienses jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. De quibus ita sentiunt citati supra cap. 9. quibus addo Suarium cit. sect. 5. Sanchez *de Matrimonio.* lib. 3. disp. 29. n. 14. Reginaldum lib. 1. n. 180. De Lugo *de Poenit;* disp. 21. §. 2. Amicum tom. 8. disp. 15. Sect. 3. juxta quos solvitur difficultas. Et

338. Dico 2. Cisterçienses Confessores etiam vi dicti Decreti non debent sæcularium confessiones audire sine præhabitâ suorum Abbatum approbatione & licentiâ.

Ad excipiendas confessiones sæcularium & religiosorum sufficit approbatio

Cùm enim nemo sæcularium confessiones audire possit, nisi actualem super eos habens jurisdictionem, hanc non habent ejusmodi Confessarij, nisi à suis Abbatibus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus in subditos suos sæculares, expositi & approbati fuerint. Nam juxta Concilium Tridentinum cit. Sess. 23. cap. 15. habetur, quòd quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem

accipiant, nullum tamen etiam regularem posse confessiones sæcularium audire, nisi Parochiale beneficiũ habeat, aut ab Episcopo (cujus nomine hic Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes veniunt) per examen, si illis videbitur necessarium esse, vel aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, accipiat.

& licentia Abbatis.

339. Dico 3. Confessarii Cistercienses acceptâ ab Abbatibus suis confessiones audiendi licentiâ acquirunt eo ipso jurisdictionem non tantùm in suos subditos, sed etiam à Summo Pontifice delegatam in omnes Christi fideles ad se confessionis causâ accedentes, quos absolvere possunt ab omnibus etiam peccatis & censuris Papæ reservatis exceptis casibus Bullæ Cœnæ, ut sentiunt Rodriq. tom. 1. q. 61. art. 6. Suarez tom. 4. lib. 9. c. 2. & alii. Hic testatur id posse religiosos expositos gaudentes Privilegiis mendicantium. Hac solâ ab Abbate meo Reverendissimo Domino Matthæo, Celeberrimi Monasterii in Valle B. Virginis de Campo liliorum, Sacri Ordinis Cisterciensis per Germaniam Superiorem & Ungariam Commissario Generali, SS. Theologiæ Doctore, nec non Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario, &c. Ordinis Religionis, & rei literariæ promotore eximio. Habitâ solâ, inquã, approbatione & licentiâ egomet ipse quorumcunque sæcularium peregrinationis causâ Campum liliorum transeuntium confessiones exce-

Vndenam Cistercienses Confessarii habeant potestatem delegatam in omnes fideles confessionis causa accedentes.

pi

pi, eosque à casibus diversis absolvi, & alij, qui id muneris in hodiernum diem ibidem obeunt, non aliâ quàm Abbatis sui licentiâ absque ulla Episcopi Diœcesani approbatione idipsum exequuntur.

Idem Cisterciensibus conceditur extra territorium proprium.

340. Dico 4. Eatenus ab Abbatibus suis approbati Confessores in proprio territorio, etiam extra illud absque ulteriori approbatione quorumcunque ad se venientium confessiones audire possunt.

Ita docent apud Dianam p. 6. tract. 7. resol: 59. Ludovicus Cellorius, Joannes Præpetius non obstante Bulla Urbani VIII. De qua infra.

An alicubi approbatus ubivis approbatus censeri possit.

341. Hoc tamen benè limitat Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 7. Si nimirum Episcopus non contradicat. Hoc Privilegium indulsit Patribus Societatis JESU Gregorius XIII. ut semel approbati possint ubivis locorum per totum mundum confessiones audire, modò Curati non contradicant, & si in oppidis, in quibus Ordinarius residet, audire voluerint, eius licentiam obtineant. Quod Privilegium quia etiam juxta Rodriquez tom. 1. q. 59. art. 7. Reliqui communicantes participant. Dubium non est, quin Cisterciensium Confessarii liberè & licitè eo frui, & uti possint.

Benè notandum est.

342. Ubi tamen adverte hanc licentiam solùm esse necessariam circa populum Monasterio non subjectum; nam si ejusmodi Confessor

cum

cum exemptis subditis Monasterii sui exempti alienum territorium transeat, nil vetat, quò minus eorum confessiones etiam contradicente Episcopo audire possit; cùm hi juxta Bullas Summorum Pontificum totaliter à jurisdictione Episcoporum eximantur, & jurisdictioni ejusmodi Abbatum, eorumque Vicariorum omnimodè subjiciantur, quæ exemptio, quia concessa est non tam ratione loci, quàm personarum, hinc ubique existentes comitatur, ut docet Rodriq. cum aliis tom. 1. q. 61. art. 7.

Quamdiu duret accepta approbatio.

343. Quæres, Quamdiu duret facta ab Abbatibus approbatio? Respondeo cum Sanchez lib. 8. disp. 28. n. 72. La Crux lib. 2. de relig. c. 3. dub. 1. & alibi. Quamdiu non revocatur. Quod autem justa de causa revocari possit, docet Suarez disp. 28. sect. 8. n. 2. utrum autem sine causa validè revocetur, negat Nungez p. 3. tom. 2. q. 8. dub. 9. quam opinionem probabiliorem esse asserit Forerus thesi 54. qui ibidem docet eam approbationem non cessare etiam post mortem concedentis.

CAPUT VI.

De Potestate Abbatum Cisterciensium quoad approbationem & institutionem Parochorum in Parochiis pleno jure sibi subjectis.

Notandum 1.

344. ADvertendum est 1. Parochiam pleno jure possidere est eam ita possidere, ut

Quid sit plenè possidere. ut partialiter ejus possessio cum alio v. g. Episcopo non dividatur. Ita scilicet ut Abbas in quantùm capax est, seu potius monasterium totam materiam jurisdictionis attingat exclusivè ad Episcopos locorum Ordinarios;

Notandum. 2. 345. Advertendum 2. Eas Ecclesias seu Parochias pleno jure pertinere ad Monasteria Cisterciensium, quorum populus vel ex toto, vel ex majori parte iis subjectus est in temporalibus. Fundamenti primi est totalis ejus exemptio à jurisdictione Episcoporum, ut constat ex citatis Summorum Pontificum Bullis. Hic sufficiat Innocentij VIII. prorsus & totaliter eam eximentis. Ratio secundi habetur ex illo, quòd accessorium sequatur principale.

Quidnam pleno jure spectare dicatur ad Cisterciensium Monasteria.

346. Quia autem vi citati Privilegii subditi omnes eximuntur, quocunque tempore Monasterio subjiciuntur, ut patet, ex ly *Subditos nunc & pro tempore existentes.* Quod etiam futuros comprehendit, ut docet Barbosa in Clausulis claus. 93. De quo etiam videatur Suarez tom. 4. de rel. cap. 21. hinc etiam Parochiæ, quarum populus de novo accedit ditioni Monasterii, plenè eidem incorporantur.

347. Unde licèt in simili casu collatio beneficij Parochialis maneret apud Episcopum, adhuc tamen ejusmodi Parochia pleno jure Monasterio subjiceretur, quia Monasterium acquireret superioritatem respectu populi tàm in temporalibus, quàm spiritualibus. Quod etiam sufficit

cit ad hoc, ut acquirat superioritatem spiritualem in Curatum.

348. Adverte 3. Multas Ecclesias Curatas subesse Monasteriis Cisterciensium, quorum tamen populus non subest illorum jurisdictioni temporali; hæ tamen quòd pleno jure ad Monasteria spectent, dici possunt; tùm quia illis subsunt quoad spiritualia & etiam temporalia saltem quoad reditus beneficii Parochialis; tùm etiam quia absolutè dici potest eam Ecclesiam esse plenè subditam, quæ solùm in spiritualibus subjicitur. Sumptâ paritate ab eo, quòd absolutè Vicarius Generalis dicatur, ut colligit Barbosa in Trident. p. 3. de offic. Episcoporum, qui solùm habet jurisdictionem in spiritualibus, licet non habeat in temporalibus. His prænotatis. *Notandum 3.*

349. Dico 1. In Parochiis aut Ecclesiis pleno jure subjectis, quibus animarum cura annexa est, possunt Cisterciensium Abbates examinare, approbare, & instituere Vicarios seu Curatos sivè regulares sivè sæculares juxta modum præscriptum à Concilio Tridentino Sess. 7. de Reform. cap. 7. & 8. & Sess. 24. cap. 3. & 18. de Reformatione. *Juxta modum Concilii Trid. Abbates Cisterciens. possunt examinare approbare & instituere Vicarios.*

350. Ratio hujus fundatur in plenaria eorum exemptione juxta Bullam Innocentii VIII. & aliorum sæpè citatorum. Adeòque cùm institutio Parochi aut Curati sit actus jurisdictionis, ab Episcopis exerceri non debet; sed ab iis, quibus dictæ Parochiæ quoad hoc subjiciuntur, Ab-

batibus

batibus scilicet Cistertiensibus. Propter quod ita docent Lessius *de Justit.* lib. 2. cap. 41. Azor p. 2. lib. 3. c. 40. Layman qq. can. de Prælatis q. 206.

Confirmatur. 351. Confirmatur; quia hæc conclusio in dubium vocata non fuit tempore Concilii Tridentini, cùm Llamas p. 1. c. 5. §. 16. citans pro se Bannez, Gallum, Medinam, & alios, testetur se novisse plures Episcopos, qui dicti Concilii Sessioni 25. quæ contraria videtur, interfuerunt, qui tamen desuper nè verbulò moverint difficultatem; sed post illorum discessum primò circa hoc motas fuisse quæstiones & controversias. Atque ita pro conclusione nostra decidisse Congregationem Cardinalium refert Flaminius tom. 2. *de Resig.* lib. 8. q. 9. n. 98. Gonzalez reg. 8. Cancellor. gloss. 5. §. 3. n. 58. Apud Forerum thesi 55.

Differentia inter Parochum & Vicarium. 352. Dixi *Vicarios seu Parochos.* Ut notetur in Ecclesiis plenè Monasterio subjectis communiter non institui Parochos, seu Rectores principales Ecclesiæ, quales in aliis Parochiis institui solent: sed solùm Vicarios, qui nomine Abbatis (qui principalis Rector est immediatam habens in Parochianos jurisdictionem) curam animarum administrant, & dictas Ecclesias regunt.

An regularis Vicarius vel 353. Dixi *regulares.* Quia beneficium Monasterio annexum est regulare, ut docet Lessius lib. 2. cap. 34. n. 7. Dixi *seculares.* Quia in beneficiis

ficiis curatis, ubi est cura animarum sæculari- *sæcula-*
um, hi institui possunt, quamvis ex eo benefi- *ris Pa-*
cium non desinat esse regulare: quia tamen in *rochus*
literis fundationis aut unionis sæpè statuitur *sit insti-*
aut sæcularis, aut determinatè regularis insti- *tuendus.*
tuendus, id observari debet. Ubi præterea.

354. Notanda est inter hos differentia, quod *An per-*
sæculares Parochi ad libitum instituantur, aut *petuus*
temporanei, aut perpetui; nisi aliud in literis *vel tem-*
fundationis aut unionis, ut dixi, fuerit statu- *pora-*
tum, aut consvetudine observatum. Post Con- *neus.*
cilium autem Tridentinum licet Parochos perpetuos ponere, ubi non fuerunt nisi temporanei. Regulares tamen, si instituantur, ut patet Sess. 7. cap. 7. Temporanei, & juxta cap. *Cum ad Monasterium. De statu Monach. §. Talis.* Ad nutum amovibiles esse debent.

CAPUT VII.

An quid juris Episcopus habeat in Curatos exemptarum Ecclesiarum, ubi resolvuntur dubia ex Trident. Bulla Gregorii XV. & Urbani VIII.

Parochi vel Curati in Ecclesiis plenè exemptis eximuntur à jurisdictione

355. DIco 1. In Parochiis aut Ecclesiis, quibus animarum cura annexa est, plenè exemptis in temporalibus & spiritualibus, Cisterciensium Monasteriis subjectis, nil juris Episcopi habent, nec eorum Curatos aut Parochos visitare aut corrigere possunt.

 356. Pro-

ordinaria Episcoporum. *Ratio conclusionis.* *Ampliatur.* 356. Probatur, quia visitatio & correctio pendet à jurisdictione ordinaria, quæ privativè his Abbatibus concessa est à Summis Pontificibus: ut ostendi supra cap. 2. per totum, in Ordine ad visitanda, unienda, conferenda, destituenda, permutanda beneficia, &c. Quod præter alios confirmat Cockier lib. 4. q. 67. n. 3. Flaminius lib. 7. q. 15. n 3. Imò nec id competit Episcopo etiam ut Sedis Apostolicæ delegato, nec Archiepiscopo. Illud docet Prosper Farinac: decisione rotæ 717. hoc Azorius cit. cap. 42. Gratianus tom. 1. *discept. forens.* cap. 212. n. 30. & sequentibus.

Concilium Tridentin. non obstat conclusioni. 357. Nec obstat 1. Concilium Tridentinum Sess. 7. cap. 7. aut Sess. 25. cap. 11. ubi videtur Episcopis commissa & delegata authoritas visitandi Ecclesias, eaque Monasteria quoad ea, quæ ad curam animarum pertinent.

358 Nam licet hoc personas regulares Episcopis in iis subjiciat, expresse tamen excipit Monasterium Cluniacense cum suis limitibus, & ea Monasteria & loca, in quibus Abbates Generales, seu capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque etiam alia Monasteria seu domos, in quibus Abbates aut alii Religiosorum Superiores jurisdictionem spiritualem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent, & hinc confirmat conclusionem nostram Rodriquez tom. 1. q. 36. art. 4. & ita præ-

præterea à Congregatione Cardinalium decisum asserit Barbosa in collect. Ad eam Sess: n.6.

359. Nec obstat 2. Constitutio Gregorij XV emanans anno 1622. 9. Febr. in qua regulares quomodolibet exempti, attamen quoad curam animarum & Sacramentorum administrationem, jurisdictioni, visitationi, correctioni Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis subjiciuntur. *Nec obstat Bulla Gregorii 15.*

360. Nam hic statuitur de regularibus solùm quoad personam, non verò quoad populum exemptis, de quo hic non disputo. Sed conclusio procedit de iis, qui tam quoad populum, quàm quoad se sunt exempti. Deindè cùm hic agatur de potestate jurisdictionis, non verò Ordinis: quod sentiunt citati Authores, & fusè docet Sanchez lib. 3. disp. 29. n. 16. Et Abbates Cisterciensium, utpotè jurisdictionem quasi Episcopalem in suum populum sibi pleno jure subjectum exercentes, veniant nomine Episcopi & Ordinarii, juxta citatos & speciatim juxta Forerum thesi 33. in Tridentino plus trities nomine Episcopi & Ordinarii veniant dictam jurisdictionem exercentes, manifestum est, hac constitutione Abbatibus memoratis vi dictæ Bullæ nil denegatum esse. *Nomine Episcopi in materia jurisdictionis veniunt etiam Abbates quasi Episcopalem jurisdictionem exercentes.*

361. Confirmatur 1. quia hoc jus in iis agnoscunt post Bullam Gregorianam citati Doctores, quibus addo Laymannum in qq. can. anno 1625. quinquennio post dictam Bullam editis, *Confirmatur 1.*

Barbosam in Tridenr. Seſſ. 25. cap. 11. *de regularibus*. Tamburinum de jure Abbatum tom. 3. d. 9. q. 1. Melch: Lotterium *de re benef*: lib. 2. q. 12. n. 31. de quibus utpotè viris in præſenti materia circumſpectisſimis præſumendum non eſt dictam Gregorianam ignorâſſe, aut non benè intellexiſſe.

Confirmatur 2. 362. Confirmatur 2. ad quæſtionem, an ejuſmodi facultas Epiſcopis ſit attributa in exemptos, qui nullius ſunt Diœceſis; Reſpondet Congregatio Cardinalium non tributam eſſe in eos, qui ſunt nullius Diœceſis, atque Ciſtercienſes unà cum populo ſibi ſubjecto ſunt nullius Diœceſis; tùm quia tàm ratione ſui, quàm ratione territorii & populi ſunt exempti. Ut docet Forerus theſ. 4. & Tamburinus tom. 1. d. 15. q. 9. n. 17. ergo eum autem locum nullius Diœceſis vocat, quando juriſdictio totaliter eſt Epiſcopo abdicata, & in Abbatem Privilegio vel uſu translata: quod præterea colligit ex gloſſ. *in Clement*. 1. §. *Volumus*. adferens pro eodem nonnullas ex recentioribus deciſiones. Ciſtercienſes autem eatenus cum ſibi ſubditis ab Epiſcoporum juriſdictione exemptos, & in juriſdictionem Abbatum translatos eſſe. Conſtat ex dictis.

Ciſtercienſium Monaſteria ſunt nullius Diœceſis.

Moventur difficultates & ſolvuntur. 1. 363. Nec obſtat quod Monaſteria & Eccleſiæ Ciſtercienſium limitibus Diœceſis ſint circumſcriptæ, ſi reliquæ conditiones deſint. Ut reſolvit Rota anno 1607. 7. Februarii. Ita enim manent nullius Diœceſis.

Nec

364. Nec obstat 2. quòd in rescriptis Pontificum Monasteria eorum dicantur hujus aut illius Diœcesis: quia ad hoc ut habeat hæc clausula vim sententiæ enunciativæ, deberet Pontifex ex instituto & principaliter agere de definiendis limitibus cum clausula (quæ propriis duximus exprimenda vocabulis (& nominare Monasteria aut loca, de quibus ageretur quod nullibi de Cisterciensium Monasteriis, aut ad ea pertinentibus Ecclesiis legitur. Imò juxta Aretinum in cap. *Cum Causam*. Etiam talis enunciativa Pontificis non sufficit ad probandum locum aliquem esse in Diœcesi, nisi alterius Pontificis enunciativa accedat, ita nimirum ut saltem duæ enunciativæ habeantur supra eandem materiam. 2.

365. Cur autem in rescriptis ponatur hujus vel illius Diœcesis. Ratio est; vel quia Monasteria limitibus Diœcesis circumscribuntur: vel quia olim ad Diœcesim pertinebant, & fieri posset, si adesset Summi Pontificis voluntas, ut ad eandem Diœcesim redirent. *Cur Monasteria Cisterciens: dicuntur esse hujus vel illius Diœcesis.*

366. Manet igitur dictam Bullam solùm intelligi de iis, qui quidem quoad suam personam, non verò quoad populum sunt exempti. Non verò de iis, qui utrâque exemptione gaudent cum Cisterciensibus.

367. Et hinc est, quod regularis, qui in Ecclesiis non pleno jure Monasterio exempto subjectis curam animarũ exercet, quoad hanc Episcopis locorũ Ordinariis subjiciatur; sicut etiam *Concluditur quidnam juris si Concil-*

Tridentini & Bullæ Gregorianæ competat Episcopo aut Abbati exemptio. Sacerdos sæcularis aliàs etiam exemptus, si in territorio Cisterciensi curatum agat, & Sacramenta administret, subjicitur quoad hæc eidem Abbati, & illud est quod vi Bullæ Gregorianæ & vigore Concilii Tridentini in Cistercienses Parochos, & dicti Abbates in sæculares curatos sibi vendicare possunt.

Non obstat conclusioni Bulla Urbani 8. 368. Nec obstat 3. Bulla Urbani VIII. edita anno 1628. *Prout accepimus.* Per quam revocantur omnia Privilegia quovis modo etiam per viam communicationis exemptis concessa, vi quarum nonnulli prætendebant se posse sæcularium confessiones audire absque Ordinarii approbatione; & inter alios, quibus hæc facultas adimitur, nominantur etiam Cistercienses, qui *Augetur difficultas.* aliàs contra hanc Bullam suam exemptionem prætendere potuissent, si specialis & specifica de iis mentio habita non fuisset.

Sensus Bullæ exponitur. 369. Verùm hoc non obstante respondeo hic irritari solùm confessiones absque ulla approbatione Ordinarii; quod verissimum est, & Cisterciensibus nullatenus obest; qui ipsi omninò sentiunt necessariam esse Ordinarii approbationem; adeòque cùm juxta indubitatam sententiam horum Ordinarii sint Abbates, absque hujus licentia nihil præsumunt; nec quidem via communicationis, quia nonnulli putant mendicantibus id fuisse concessum, audire nimirùm confessiones sine approbatione Ordinarij, quod per dictam Bullam est abrogatum.

CA-

CAPUT VIII.

Concluditur & confirmatur ex præmissis jurisdictio Cisterciensium Abbatum in Ordine ad approbationem & expositionem Confessariorum.

370. POssunt ergo Abbates Cistercienses utpotè jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes approbare & exponere Confessarios, Vicarios & Curatos in suo territorio irrequisito Episcopo, ut etiam post dictam Bullam Urbani VIII. docuit de Lugo de pœnitentia disp. 21. cap. 2. & alii apud ipsum, & conclusio patet ex propria declaratione ejusdem Urbani VIII qui responsionem Cardinalium ad Bullam Gregorianam confirmans ait dictam Bullam non tribuere ejusmodi facultatem in eos, qui nullius sunt Diœcesis.

371. Hic observa quod cum juxta sæpè memorati Urbani VIII. Bullam ab Episcopo Viennensi anno 1629. publicatam omnes Ordinum mendicantium religiosi se ad approbandum sisterent, nemo exemptorum comparuit, asserente ipso tunc temporis Illustrissimo Domino Caraffa Nuncio Apostolico, ordinarios exemptorum esse eorum Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, adeòque ut coram aliis quàm suis Abbatibus se sistant pro approbatione, non fore necessarium. *Confirmatur Conclusio ab authoritate Nuncii Apostolici*

Eandem confirmant SS. Theolog: Doctores Eximii & Professores Universitatis Viennensis circa annum 1629. & 1639.

372. Idem in Universitate Viennensi circa idem tempus docebat SS. Theologiæ Doctor & ejusdem ibidem Professor ordinarius P. Lucas Scrutius Soc. Jesu tract. de pœnit. disp. 8. q. 7. n. 5. Notandum, inquit, approbationem quam requirit Concilium, dari etiam posse à Capitulo Sede vacante, quia hæc approbatio spectat ad jurisdictionem Episcopalem; Capitulum autem Sede vacante succedit in jurisdictione Episcopali. Idem dicendum de Prælatis, qui exercent jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut quoad actus ordinariæ jurisdictionis exempti sint ab Episcopis, quare tales possunt exponere & approbare Confessarios intra suos terminos. Quod idem docet Suarez supra, & confirmat usus. Nomine ergo Episcopi in hoc Decreto comprehenditur ille, qui jurisdictionem Episcopalem habet, ita ut supra se non habeat proprium Episcopum præter Summum Pontificem. Deinde citat Bullam Urbani VIII. eamque nec minimum huic opinioni obesse, insinuat. Quod idem postea docuit in eadem Universitate SS. Theologiæ Doctor & Professor ordinarius P. Gualterus Paulus Soc: Jesu anno 1639. in tract. de pœnit. q. 15. puncto 6. not. 6. subscripsit se huic sententiæ tunc temporis ad hoc requisitus P. Eustachius Stannenperger SS. Theologiæ Doctor & Facultatis Theologicæ Decanus, cujus verba hic appono.

373. *Hanc eandem sententiam teneo nunc, sicut*

eam

eam tenui anno 1628. quo eam publicè in hac Universitate Viennensi docui, & defendi nixus authoritate gravium Doctorum, qui ad validam approbationem requirunt omninò Episcopalem non consecrationem sed jurisdictionem tantùm; undè licitè & validè approbare, & intra terminos territorii sui exponere Confessarios suos sivè regulares sivè alios Clericos possunt Abbates, & quivis Prælati habentes Episcopalem jurisdictionem, ita ut quoad actus ordinariæ jurisdictionis sint ab ipsis Episcopis exempti, ita citatus. Addens neque Bullam Urbani VIII. Huic sententiæ quidquam officere; ea enim rectè intelligitur in eo sensu, quo eam Doctores supra citati exponunt.

Sententia Spe. stab: D. Decani Facultatis Theolog. Viennæ.

CAPUT IX.

Inferuntur nonnulla ex dictis circa jurisdictionem Abbatum Cisterciensium respectu Parochorum tàm sæcularium quàm Regularium.

374. Infero 1. Parochos in territorio Abbatum Cisterciensium ab iisdem expositos, ab Episcopis aut Archiepiscopis in judicium citari non posse ob defectum jurisdictionis: propter quem, nec Parochi comparere tenentur, & si quæ censura propter hoc feratur, ipso facto nulla est.

Qui Parochi Cisterciens: à Judicio Episcoporum eximuntur. Regulares in Paro-

375. Infero 2. Abbatem retinere jurisdictionem in Regularem, qui curati nomine præ- est

chiis ad Episcopum spectantib. quoad curam animarum eidem subjiciuntur.

est Ecclesiæ aliquo modo ad Monasterium spectanti, saltem quoad ea, quæ observantiam regularem concernunt, licet juxta dispositionem Concilii Tridentini Sess: 25. c. 11. & citatam Bullam quoad curam animarum & Sacramentorum administrationem Episcopo in cujus territorio curatum agit, subjiciatur. Ratio est, quia expressa hæc exceptio reliquam jurisdictionem Abbatis in Religiosum non attingit; nec circa eam quidquam disponit, maximè cùm ejusmodi exceptio firmet regulam in oppositum: & ita decisum esse à Cardinalibus refert Barbosa ad citatum cap. 11.

Excipe quæ regularem observantiam concernunt.

376. Quod si autem Cisterciensis cum licentia sui Abbatis beneficio curato extraneo, & nullo modo, nec quoad jus præsentandi, aut instituendi sivè in temporalibus aut spiritualibus ad Monasterium spectanti præficiatur. Quæri posset 1. An hoc ipso emancipetur à subjectione Abbatis sui, & transeat in potestatem Episcopi, qui ei deinceps sit loco Abbatis?

Proponitur quæstio 1.

377. Dixi *Cum Abbatis licentia*. Quia religiosus sine proprii Abbatis licentia ad ejusmodi beneficia promoveri non potest. Ut ex Jure ostendit Rodriquez tom. q. 34. art. 5. & colligitur ex Tridentino Sess 25. *de Regularibus*. Quamvis etiam Abbas ad dandam licentiam cogi possit à suo superiore, si necessitas id exegerit, & Abbas assentiri nollet. Ut docet Lessius lib. 2. cap. 41. n. 97. His positis.

Regularis sine licentia sui Abbatis ad Parochiam extra Ordinem promoveri nequit.

Ad

378. Ad quæstionem affirmativè respondent multi, colligentes id ex cap. 31. *in paræcia* 6. q. 1. ita docet Panormitanus in cap. 2. *de statu Monachorum*. Num. 3. Rodriq. tom. 1. q. 34. art. 6. Lessius citatus n. 88. cujus verba sunt: Hoc si beneficium, inquit, non subsit Monasterio; præter consensum Prælati, requiritur & authoritas Episcopi, ut promoveatur religiosus: nec potest à Prælato puniri aut deponi; quia est ab ejus jurisdictione exemptus. Quo casu velut ejectus est è Monasterio, nec amplius ejus commodis frui potest, nec habet vocem activam aut passivam in Capitulo, ut docet Panormitanus: translatus enim est à Monasterio ad beneficium sæculare. *Respondetur ad quæstionem.*

379. Unde sequitur ipsum non habere jus revertendi ad Monasterium & pristinum locum occupandi, etsi deposito onere reverti velit. Sicut enim, prosequitur Lessius citatus, per translationem illam factum est, ut Prælatus & Conventus nil in eum juris habeat, nec possint eum revocare: ita etiam ipse jus redeundi amisit, ut sit utrinque paritas. Hoc colligitur &c. *Ne quo cujuslibet*. 16. q. 1. ubi Gregorius I. statuit, ut si quis Monachorum ex aliquo Monasterio ad officium Clericatus, vel sacrum Ordinem accesserit, non ibi aliquam ulterius potestatem habeat: sanè grave onus foret Monasterio, si jam senes fractos & inutiles officiis Monasticis & moribus sæpè parum religiosis aut noxiis teneretur accipere. *Corollarium ex dictis.*

Hoc

Constitutio Capituli generalis Cisterciens: ad annum 1651. 380. Hoc ipsum innuere videtur illa Cisterciensium Capituli proximi generalis constitutio, ubi habetur. *Quod Monachus, qui sub praetextu beneficii ab Ordinis subjectione semel recessit, nunquam recipiatur sine licentia Reverendissimi Abbatis Generalis & Reverendorum admodum quatuor primorum Abbatum, & receptus per totam vitam ultimus remaneat.*

381. Nec obstat quod juxta Summorum Pontificum Bullas etiam per Sedem Apostolicam in Abbates Cistercienses promoti, & ex Cisterciensibus assumpti in Capellanos seu familiares Summi Pontificis, aut Cardinalium, aliorumque Prælatorum, à jurisdictione, correctione & obedientia Abbatis Cisterciensis aut Capituli generalis nullatenus subtrahantur, ut concessit specialiter Joannes XXII. Const. *Ad Cisterciensem Ordinem.* Et const. *Dum uberes fructus.* *Favorabile pro Ordine.* Id verum est, si Ordo hujus Privilegii usum, aut in casu particulari non suspendat aut hujusmodi licentiam concedat propter utilitatem multarum communitatum, quibus in favorem præberetur occasio sese exonerandi ab onerosis hominibus, quorum conversatio est in destructionem, non verò ædificationem. Ne tamen aliis eam libertatem æmulandi præbeatur occasio, hi cum nota & certis conditionibus, in quas jurare teneantur, dimitti poterunt.

Proponitur quæstio 2. & re- 382. Quæres 2. An hoc sit tenendum de iis, qui de facto aut ex necessitate aliqua ex suis Mona-

naste-

nasteriis dimissi alibi curam animarum in Parochiis exercent; Respondeo negativè: tùm quia Prælati, ejusmodi licentiam nunquam dedisse censentur, nisi aliud in particulari constet: tùm quia Episcopi id non ignorant, qui repetentibus Abbatibus tales expositos regulares ad nutum sine contradictione remittunt. *solvitur.*

383. Hic quæri posset 3. Si in aliena Provincia Cisterciensis religiosus Parochiale beneficium obtineat, cui subsit? Respondeo, Abbati Ordinis aut Vicario generali, si ibi sit in Provincia. Ita Tamburinus tom. 2. disp. 6. q. 10. n. 11. qui id universaliter docet de omnibus regularibus. Quod à potiori dicendum est de iis, qui in certo Monasterio hospitantur, ut docet Suarez tom. 4. de relig. c. 8. qui legibus & superiori illius Ordinis loci tàm quoad forum internum, quàm externum subjiciuntur. *Quæstio 3. resolvitur.*

384. Undè meritò Aulæregiæ Visitator Generalis per Boëmiam, Lusatiam & Moraviam, &c. Zelosus Sacri Ordinis Observator in sua visitatura neminem Cisterciensium alterius Provinciæ ad Parochiale beneficium assumi permittit, nisi suæ jurisdictioni quoad tempus, quo ejusmodi beneficio præest, subjiciatur. Docet enim experientia, solere sæpe numero nonnullos suæ libertatis amatores sub prætextu ejusmodi beneficii opportunitatem inquirere, ut in distantia longiori à propriis suæ possessionis domibus longius ab obedientia recedant: aut *Cui subsint religiosi hospites, aut Parochi. Praxis in Boëmia.*

forsan

forsan, dùm absentium suorum Prælatorum correctionem subterfugiunt, ac præsentis in Provincia Abbatis inspectionem non admittunt, ut impunè magis, quod absit, peccare possint.

CAPUT X.

Quinam sint Cistercienſium Confeſſarii?

Abbates Cistercienſ: poterant excipere confesſiones ſuorum religioſorum.

385. Dico 1. Abbates Cistercienses poterant, imò excipiebant confessiones suorum religiosorum.

Ratio primi est: quia ordinaria, immediata & æqualis jurisdictio in regulares quoad forum internum competit Abbatibus ex officio, qualem habent Parochi in suos Parochianos seclusâ etiam exemptione: hac autem suppositâ amplissimam, ut loquitur Forerus thesi 40. in foro interno potestatem parem nacti sunt, quam Tridentinum Sess: 25. cap. 6. concedit Episcopis in suos Diœcesanos.

Consvetudo Ciſterc: Abbatum inaudienda annua confeſſione regularium.

386. Secundum patet, quia id maximè in usu fuit apud Cistercienses; & ita quidem, ut licet in Capitulo generali absoluti fuerint in forma Jubilæi, tenebantur tamen quolibet anno hoc non obstante, proprio Abbati, vel de ejus licentia, alteri confiteri peccata, acsi confessa non fuissent, juxta constitutionem Sixti IV.

An Abbatibus

387. Dico 2. Defacto non licet Abbatibus suorum confessiones audire, si spontè nolint.

Primum patet ex constitutione Clementis VIII.

VIII. publicatam anno 1593. 26. Maij, in qua vetitum est. Ut non liceat superioribus suorum religiosorum confessiones audire. Et statutum est, ut superiores in singulis domibus deputent duos vel plures Confessarios pro subditorum numero majori vel minori, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur. *Quia alias*, ut inquit Pontifex, *nonnulli inferiores interdum superiori suo conscientiæ maculas detegere formidantes adduci possent in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem.* Secundum docet Miranda tom. 2. q. 33. art. 1. *Juxta extravag. inter cunctas. de Privilegiis.*

Cisterciensibus de facto liceat suorum regularium confessiones audire.

388. Undè colligo 1. Posse regulares confiteri suis superioribus si sponte velint: ita enim tollitur ratio legis, quam Pontifex adducit; non tamen ad hoc cogi debent, nisi fortasis ob casus reservatos, aut quando subditi id spontè peterent. Ut patet ex *Clementina* supra citata p. 2. cap. 4. de casuum reservatione.

Regulares si velint suis superioribus confiteri, possunt.

389. Colligo 2. Nec regulares debent adigi ut peccata totius anni aut vitæ præteritæ jam rectè per confessionem apud Ordinarios expiata ipsis superioribus denuò confiteantur. Nec obstat constitutio Cisterciensium de facienda Abbati annua confessione, cujus meminit etiam Henriquez lib. 5. cap. 16. n 3. quia juxta declarationem Capituli Generalis ad annum 1618. celebrati p. 2. cap. 4. ad quæstionem tertiam

Cogi non debent, &c.

An constitutio Cisterciensium de annua confessione

citati,

fatienda Abbati obligei. tati, nullum est hujus confessionis sub culpa præceptum, sed consilium.

390. Dico 3. Cistercienses solùm ab Abbatibus suis deputatis Confessariis confiteri possunt. Nec licet sine Abbatis licentia cuipiam alterius aut etiam ejusdem Ordinis aut sæculari Presbytero confiteri, aut cujuspiam confessiones excipere.

Cistercienses deputatis à suis superioribus Confessariis confiteri debent: Excipiuntur advenæ peregrini & itinerantes.

391. Ita statuit Alexander III. & ratio sit, quod ad confessiones excipiendas requiratur jurisdictio in pœnitentem, quæ abest, si voluntas Abbatis utpotè in suos religiosos jurisdictionem habentis, eamque non tribuentis, desit.

392. Hic tamen advertendum est conclusionem procedere de pœnitentibus sivè professis sivè hospitibus regularibus in Monasterio existentibus, non verò de advenis & juxta licentiam suorum superiorum peregrinantibus aut itinerantibus. Hi enim eo ipso quòd de licentia proficiscantur, cuicunque idoneo regulari aut sæculari confiteri possunt absque ulteriori licentia, eumque, liberè eligere possunt, nisi superiores aliter ordinaverint, ut docet Suarez lib. 4. de relig. lib. 2. c. 16.

Duo Cistercienses itinerantes sibi invicem confiteri possunt.

393. Dixi *nisi aliter ordinaverint.* Nam cum duo Cistercienses Sacerdotes itinerantur de licentia suorum Abbatum aut superiorum, putat citatus Suarez eo ipso, quòd mens sit superiorum, ut unus alteri confiteatur: sed quia id onerosum est, & favores ampliari possint, non vide-

videtur ad id obligari, nisi de mente superioris expressè constet.

394. Quod autem sibi invicem confiteri possint, patet ex dictis, & confirmat usus & authoritas Tamburini tom. 2. disp. 6. q. 6. n. 4. quod verum esse asserit Llamas p. 1. cap. 5. §. 12. & 13. etsi hi itinerantes sint unius Ordinis aut Monasterij, sivè non.

395. Dubium est, an Cistercienses ab his absolvi possint à reservatis, dummodò licentiam habeant cuicunque Confessario confitendi. Respondet affirmativè contra communem & veriorem sententiam Peierinus in compendi: quoad §. 2. in scholio. Ut testatur Alphonsus de Leone de offic: & potest: confess: tom. 2. recolect: 11. n. 31. docens, regulares absentes (dummodò licentiam habeant cuicunque Confessario confitendi) posse absolvi à casibus suo superiori reservatis.

Quo casu regulares à quocunque Confessario absolvi possint à casibus à suis superioribus reservatis.

396. Quod quidem etsi neget Tamburinus tom. 2. & Rodriquez tom. 1. q. 62. art. 5. concedit tamen id nonnunquam licere, si præsumatur de licentia: quando scilicet ex oblivione naturali itinerans intermisit petere licentiam. Sed quia probabilis est sententia Dianæ p. 4. tract. 4. resol. 109. docentis, quòd peregrinus habens casum reservatum in sua Diœcesi, ab eo in alia, in qua ejusmodi casus non est reservatus absolvi possit. Nec improbabile judico idipsum posse de religioso alibi peccata reservata con-

tente verificari; si tamen ab Abbate circa hoc nihil certi in contrarium statutum fuerit.

Ad tempus alibi habitaturi regulares à quibus casibus absolvi, & quibus ligari possint.

397. Id à potiori verum est, de iis, qui à superioribus suis ad alia loca missi ibidem habitaturi sunt ad tempus, licet cum onere revertendi: hi enim à casibus in loco priori reservatis in altero absolvi possunt sine ullo scrupulo; nec ligantur reservatione casuum, nisi eorum, qui sunt in loco, ubi pro tempore commorantur, & cujus legibus & consvetudinibus sese cum licentia sui superioris submittunt. His positis, quæres?

CAPUT XI.

Quanta sit potestas Abbatum Cisterciensium in foro poenitentiæ?

Exponitur potestas Abbatum Cisterciensis: in foro pœnitentiæ in Ordine ad regulares.

398. DIco I. Abbates Cistercienses per se vel per alios à se deputatos possunt religiosos suos absolvere ab omnibus peccatis ante & post regressum religionis commissis; nec non à quibuscunque censuris excommunicationis, suspensionis & interdicti, etiam à casibus Summo Pontifici reservatis. Excipe relapsos, hæreticos, schismaticos, literarum Apostolicarum falsarios, & deferentes prohibita ad infideles.

399. Hoc Cisterciensibus obvenit vi communicationis Privilegiorum ex Privilegio Clementis IV. Generalibus, Provincialibus & Custodi-

stodibus Minorum concesso apud Rodriquez comp. qq. reg. resol: 3. ubi illam exceptionem declarat Sixtus IV. pro Minoribus & Prædicatoribus, & cujus concessione idipsum possunt Priores eorum seu vices gerentium pro suis subditis, ut patet loco citato: hoc tamen fieri debet adjunctâ salutari pœnitentiâ, & satisfactâ parte juxta Eugenium IV. licet hoc ultimum in Privilegio Clementis IV. non præcipiatur, ut advertit cit. Rodriq; adeòque infert absolutionem datam virtute illius Privilegii sine prævia partis satisfactione fore quidem validam, peccare nihilominus Confessarium, si non satisfactâ parte pœnitenti absolutionem elargiatur.

400. Amplissima circa hoc Cisterciensibus concessa Privilegia revideantur supra p. 1. c. 4. ubi etiam hujusmodi absolutiones à quibuscunque casibus toties elargiendas concessit Eugenius IV. quoties visum fuerit, præterquam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, à quibus etiam qualitercunque enormibus, etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica meritò adeunda & consulenda esset, semel duntaxat in anno, quivis quoties Capitulo generali interfuerit, absolvi potest à Confessario de Ordine ab Abbate nominato, juxta Privilegium Sixti IV. quod etiam ad eos extenditur per Pium V. qui Capitulo generali non intersunt, dummodò verè pœnitentes confessi pro illius successu devotè oraverint. Ut patet ex loco jam citato.

Amplissima potestas absolvendi à casib. reservatis & peccatis enormibus.

Committitur hæc potestas deputatis, & quibus.

401. Dixi in conclusione *per se vel suos deputatos*, ut Cistercienses advertant, rarò aut nunquam dari casum, in quo existentes in Claustris ad altiores superiores recurrere cogantur pro absolutione in absentia proprii Ababatis: quandoquidem Abbas quoad forum internum vices suas in sua absentia committit Priori, aut si hic non habeatur Suppriori, ad quem est recurrendum.

Quanta sit in foro pœnitentiæ potestas eorum, qui studiis generalibus præsunt.

402. Et hinc fortè est quòd Benedictus XII. const. *Fulgens.* etiam pro studiis generalibus statuerit, ut Patres Abbates studiorum generalium Rectores (ut hic Pragæ est Reverendissimus Abbas Aulæregiæ Vicarius generalis) deputent idoneos provisores, qui curam animarum habeant studentium, quique illos corrigant & absolvant sicut proprii Abbates subditos proprios corrigere & absolvere possunt in Monasteriis eorundem, ita tamen ut propter hoc dicti studentes à potestate proprii Abbatis exempti aliquatenus non existant. Ita Pontifex:

Quanta sit potestas Abbatum Cisterciens: in foro interno circa suos subditos.

403. Dico 2. Abbates Cistercienses in sibi immediatè subditos tàm sæculares quàm regulares etiam amplissimam nacti sunt in foro interno potestatem parem, quam Tridentinum concessit Episcopis in suos Diœcesanos.

404. Ita docet Forerus thesi 40. & alii passim, & constat: tùm ex eorum totali exemptione à jurisdictione Ordinariorum Episcoporum: tùm ex subjectione eorundem respectu dicto-

dictorum Abbatum. Utpotè jurisdictionem quasi Episcopalem exercentium; quibus omnia, quæ in materia jurisdictionis Episcopis vi dicti Concilii attribuuntur, juxta sæpè citatos Doctores (quibus addo Sayrum in clavi regia lib. 6. cap. 11. n. 83. Avilam de censuris p. 7. disp. 10. dub. 6,) indubitanter competunt.

Quænam sit concessa Episcopis & Abbatibus Cisterciens: potestas in foro interno ex Concil: Trid:

405. Licet autem Episcopis vigore Concilii Sess: 14. cap. 6. in omnibus irregularitatibus, suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis ad forum contentiosum deductis, dispensare & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quosque sibi subditos in sua Diœcesi per se vel Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere impositâ salutari pœnitentiâ. Item ut in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non verò Vicariis sit permissum.

Quodnam dici debeat delictum occultum.

406. Hic adverte 1, delictum adhuc dici occultum licet ab aliquibus sciatur, ut docet Navarrus in Manuali cap. 27. n. 250. Toletus in Summa lib. 1. cap. 89. n. 5. Azor p. 1. lib. 8. c. 10. q. 9. & alii. Deindè licet sit deductum ad forum contentiosum, si tamen non sit probatum, ideòque reus sit absolutus, adhuc censetur manere occultum, & ab illis Abbatibus dispensabile. Ut docet de Graffys lib. 1. decis: cap. 13. n. 42. Molina de just: tract: 3. disp. 79. num. 8.

Sanchez de Matrim: lib. 2. disp. 37. n. 12. & alibi. Imò si in judicio publico delictum probatum sit & punitum, adhuc dispensabile est, ut affirmat Avila de Censuris p. 7. disp. 10. dub. 7. Henriq: lib 14. de irregul. cap. 7. n. 5. Reginaldus lib. 30 tract. 2. n. 29. & alii.

Quidnam hic veniat nomine homicidii. 407. Adverte 2. Nomine homicidii venit, qui ex industria occidit, non verò qui casualiter, quod docet Zerolus in praxi Episcoporum p. 1. verb. *Privatio.* §. 2. *verb. Vicarius.* §. 16. dub. 3. non autem comprehenditur voluntaria mutilatio, juxta declarationem Cardinalium quam refert Farinac: & post Navarrum & alios docet Ricius in praxi fori Ecclesiast: decis: 520. apud Barbosam hic in declarationibus ad citatum caput Concilii Tridentini. Quod si homicidium voluntarium sit justum, adhuc dispensare potest Episcopus, aut Abbas Episcopalem jurisdictionem exercens. Ut docet Salzedus in praxi cap. 14. Ledesma in Sum: p. 2. tract. 3. c. 13. concl. 51. Rodriq: tom. 1. q. 24. art. 8. & alii.

Quinam hic comprehenduntur nomine subditi. 408. Adverte 3. per quoscunque subditos comprehendi etiam vagabundos, quia cùm hi nullibi domicilium habeant, subduntur Episcopo aut Abbati in cujus Diœcesi aut territorio exempto reperiuntur, imò juxta Svarez tom. 4. de potest: disp. 30. sect. 2. Sanchez in Præcept. Decalogi lib. 2. cap. 11. n 8. & 9. dicit quod hic veniunt etiam præter vagabundos scholastici & mercatores proprium territorium habentes, &

n. 17.

n. 17. resolvit dicta verba Concilii intelligenda esse, quatenus nullo modo jurisdictioné prædictorum limitant, sed solùm quòd per ea significetur, posse Episcopos & Abbates eorumque Vicarios à se deputatos absolvere quoscunque subditos, quomodocunque subdantur, sivè quia sunt ordinarii subditi, utpotè qui domicilium ibi habent, sivè qui subdãtur quoad forum pœnitentiæ ideo, quòd in sua Diœcesi inveniantur tanquam advenæ & peregrini.

409. Adverte 4. Si ipsi Episcopi aut Abbates dicti in hæresim occultam, aut alios casus incidant, à quibus ipsi aliàs possunt suos subditos absolvere, aut cum eis dispensare, possunt eandem facultatem committere suo Confessario, ut eos absolvat & cum eis dispenset, juxta doctrinam Svarez cit, sect. 2. n. 5. & Sanchez cit. cap. 11. n. 11. Nec eam facultatem absolvendi ab hæresi aut cæteris casibus Bullæ Cœnæ revocatam esse per Bullam Cœnæ, tenet Navarrus in Man. c. 27. n. 260. Llamas in Met. curat. p. 3. c. 1. §. ult. Sà verb. *Episcopus*. Svarez tom. 5. de cens: disp. 21. sect. 3. n. 5. & videantur de his Rodriq: tom. 1. q. 20. art. 10. Henriq. in Sum. lib. 6. c. 14. n. 7. & alii. *Quid sentiendum de lapsu in hæresim.*

410. Hic quæri posset, quidnam possint Abbates circa dispensationem votorum à suis regularibus emissorum? Respondeo, ea omnia ab his relaxari posse exceptis votis substantialibus, ut patuit supra p. 2. c. 1. n. 196. & ita docent *Quid sentiendum de dispensatione votorum.*

cent Less: lib. 2. de Justit; cap. 40. n. 75. & constat ex dominativa potestate Abbatum in voluntatem sibi subditorum regularium. Ubi adverte quòd vota omnia religiosorum ante professionem emissa per ipsam professionem omninò extingvantur, juxta Svarez tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 3. Quid possint circa vota sæcularium magis patebit Capite subsequente.

CAPUT XII.

Quid possint expositi à suis Abbatibus Cisterciensium Confessarii in Ordine ad absolutiones regularium.

Quanta sit potestas Confessariorum Cisterciensium circa absolutionem regularium.

411. DIco 1. Expositi eo ipso absque ulteriori licentia possunt absolvere religiosos ab omnibus casibus & peccatis, à quibus possunt absolvere sæculares ad se venientes. Hoc constat ex Privilegio Pauli III. Societati JEsu directè, & aliis per communicationem concesso. Dixi *absque speciali licentia.* Quia hæc requiritur casu, quo Abbas aliquem casum sibi reservaverit ex iis, quos ex Bulla Clementis VIII. suprà citati p. 2. c. 4. n. 225. adduxi. Idem docet Suarez tom. 4. de rel. lib. 9.

Nota speciale Privilegium I.

412. Hoc tamen non obstante possunt Cistercienses semel in vita eligere Confessarium sine speciali licentia suorum Prælatorum, à quo ab omnibus casibus & censuris etiam Papæ reservatis absolvantur. Ut docet Rodriq. tom. 1.

q. 62. art. 1. Juxta concesſionem Sixti IV. factam Carthuſianis, quâ Ciſtercienſes viâ communicationis gaudent. Idem docet Suarez lib. 2. cap. 19. n. 7. ad quod Diana tract. 2. de dub. Regul. requirit; ut Confeſſor ſit ab Abbate approbatus, & pro Confeſſore expoſitus. Quod tamen Rodriq. citatus art. 2. non requirit.

413. Ubi adverte quòd cum licentia ſuperioris id ſæpius fieri posſit, quater in anno diebus quibus maluerint, in feſtis, Dominicis & B. Virginis, omnium Sanctorum, & Apoſtolorum Petri & Pauli, & in feſtis Patronorum præcipuorum Ordinis v. g. Ciſtercienſis SS. Benedicti & Bernardi. Et per totã majorẽ hebdomadam. De quibus fuſius videâtur Authores citati. 2.

414. Quæres 1. Quid faciendum, ſi Abbas petitam licentiam dare nollet pro abſolvendo caſu ſibi reſervato? Reſpondeo juxta declarationem Clementis VIII. Poſſe Confeſſarium pro ea vice abſolvere non obſtante denegatione; ſi tamen conſideratis circumſtantiis prudenter hic & nunc judicet debuiſſe meritò eam licentiam concedi. *Reſolvitur quæſtio 1.*

415. Quæres 2. An Confeſſarius obtentâ licentiâ abſolvendi perſonam particularem à reſervatis, eam etiam abſolvere posſit à reſervatis commisſis poſt obtentam licentiam? Reſpondet cum aliis Barboſa de Poteſt: Epiſc. p. 2. alleg. 12. n. 9. apud citatum Dianam reſol. 126. affirmativè. Ubi Alphonſus de Leone tract. De *Reſolvitur quæſtio 2.*

Potest. Confess. tom 2. resolut. 6. n. 131. cum Floren. de casuum reserv. cap. 3. §. 1. n. 1. notat quòd Confessarius, si petat facultatem à superiore pro una persona, eâ pro se uti possit.

Exponitur specialissimum privilegium pro mortis articulo.

416. Hic advertendum est Sixtum IV. const. *Sacrosanctæ*, Cisterciensibus specialiter concessisse, *ut omnes illius Ordinis personæ utriusque sexus, Donati, Commensales, Familiares, Oeconomi, Procuratores, ab omnibus & singulis Ecclesiasticis censuris, nec non ab omnibus casibus etiam Apostolicæ Sedi reservatis in mortis articulo cum salutari poenitentia per Conventualem Confessarium absolvi, & plenariam omnium peccatorum remissionem, & Sanctissimum Jubilæum consequi possint.* Et prætterquam quòd id semel in vita, & in articulo mortis juxta formulam absolutoriam hic infra positam fieri possit.

417. Idipsum etiam ipsis conceditur viâ communicationis, juxta concessionem Pii IV. apud Rodriq. in comp. qq regul. resol. 3. Ubi habetur, *Quòd religiosi, & Novitii habentes propositum profitendi, Moniales & eorum Famuli, & Servitores possint semel in vita & in articulo mortis absolvi ab omnibus omninò peccatis & censuris, & Confessor eisdem indulgentiam plenariam concedere acsi in illo actu esset Pontifex.* Potestque impendi talis absolutio à quocunque Confessario etiam sæculari ex Innocentio VIII. ut habetur in compend. D. Hieronymi tit. *indulgentia plenaria per communicationem.* §. 7. quo Cistercienses licitè

licitè & validè, utpote communicantes, uti possunt.

418. Hæc indulgentia licet semper sortiatur effectum, ut loquitur cit. Rodriq; in reputato mortis articulo, acsi de infirmitate decederet infirmus, semper tamen reservata manet pro vero mortis articulo: nam idem Pontifex in citata Bulla statuit, ut si mors indè secuta non fuerit, reservatâ plenariâ indulgentiâ in verũ mortis articulum; manent tamen à peccatis absoluti. *Hoc benè observandum est.*

419. Quid si autem infirmus loquelâ destitutus peccata sua confiteri nequeat, an ei danda sit plenaria absolutio? Respondeo, si voluit confiteri dum esset sibi præsens; vel ex aliquibus signis aliqualiter constet, aut præsumatur velle absolvi, vel habere contritionem cum proposito confitendi, absolvendus est, juxta Doctores communiter. Nam lingvæ oppressio, dementia, vel lethargia non officit juxta Eugenium IV. sicut etiam juxta declarationem & ampliationem Nicolai V. ut habetur in cit. Compendio resol. 3. quod idem ibidem diversi docent. *Resolvitur casus.*

420. Per mortis autem articulum intelligitur, in quo mors probabiliter imminet, aut à Medicis, aut viris cordatis imminere putatur. Absolutus tamen in dicto articulo non tenetur peccata reservata iterum superiori confiteri, casu quo evadat, cùm absolutio sit præstita ab habente plenariam potestatem à Papa. De quo videantur Navarrus in Summ. de pœnit. Disp. 5. n. 29. *Quisnam hic censeri debeat mortis articulus.*

num. 29. & alibi. Miranda tom. 2. q. 33. art. 8, Sanchez de Præc. Decal. cap. 13. n. 31. explicans pro eodem articulum & periculum mortis.

421. Advertat autem Confessarius hanc indulgentiam concedendam esse eo tempore, quo creditur infirmus in extremis constitutus non amplius saltem mortaliter peccaturus, nè demum post dictam absolutionem aliâ satisfactione indigeat. Caveat tamen Confessor, ut monet cit. Rodriquez, nè repentinâ morte pœnitentis ante absolutionem præveniatur.

Resolvitur casus benè notandus. 422. Quod si non detur copia Confessarii, an infirmus in articulo mortis plenariam indulgentiam consequi possit? Respondeo affirmativè, dummodò sit in statu gratiæ. Ut declaravit Martinus V. & alii Pontifices pro Minoribus. Hæc autem indulgentia in defectu Sacerdotis potest concedi à Diacono, vel etiam à Laico converso juxta magis receptam piam & favorabilem licentiam. Ut docet Rodriq: hic in comp. qq. reg. resol. 77. n. 16.

Formula absolvendi plenariè in articulo mortis. 423. Apud citatum Rodericum formulam plenariæ absolutionis hanc invenio: *Authoritate Apostolicâ mihi commissâ absolvo te ab omnibus peccatis tuis inquantum possum, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & concedo tibi indulgentiam plenariam, quam tibi concessam à Domino Papa, si forte non morieris, eâdem authoritate reservo pro ultimo articulo mortis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

424. Spe-

424. Specialis autem formula absolutionis, & Jubilæi semel in vita & in mortis articulo personis utriusque sexûs Ordinis Cisterciensis indulti, prout habetur in eorum Breviario, est sequens.

425. *Authoritate DEI omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Beatorumque Apostolorum Petri & Pauli: ac etiam authoritate Apostolicâ mihi in hac parte commissa, & tibi de speciali gratiâ concessa ab omnibus & singulis excommunicationis suspensionis & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis à jure vel ab homine quomodolibet latis, si fortè ligaris, & etiam ab omni irregularitate, si quam contraxisti, tecum dispensando, nec non ab omnibus criminibus, excessibus, delictis, & peccatis tuis quibuscunque & quantumcunque enormibus, etiam casibus & peccatis sanctæ Sedi Apostolicæ reservatis per te commissis & mihi confessis, ac etiam de oblitis secundùm formam Bullæ & gratiæ Apostolicæ tibi & Ordini nostro concessæ. Ego te absolvo, & tibi in confidentia divinæ misericordiæ plenariam absolutionem, indulgentiam & remissionem omnium peccatorum tuorum & Sanctissimum Jubilæum confero & concedo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.*

Specialis formula absolutionis, & Jubilæi semel in vita & in mortis articulo Cisterciensibus specialiter concessa.

CA-

CAPUT XIII.

Quidnam possint Cisterciensium Confessarii ab Abbatibus suis expositi in Ordine ad absolutionem sæcularium.

Potestas SS. Pontificis quoad absolutionem à casibus.

426. Posse Papam concedere facultatem regularibus, adeòque etiam Cisterciensibus ut absolvant à casibus sibi & Episcopis reservatis, dubitari non debet propter illam, quam à DEO immediatè habet plenissimam potestatem & jurisdictionem. Quæstio est de facto.

Potestas Confessariorum Cisterciensium quoad absolut. sæcularium. circa casus reservatos & dispensat:

427. Dico 1. Cistercienses ab Abbatibus suis approbati & expositi, omnes ad se venientes absolvere possunt ab omnibus casibus ab Episcopis à jure reservatis: imò & aliis specialiter, & non à jure sibi ipsis reservatis secundùm probabiliorem sententiam, quam tanquam omninò tutam & in praxi securè amplectendam esse docet ex communi Rodriq. tom. 1. q. 61. art. 2.

428. Qui præterea art 3. & 4. asserit cum Sylvestro V. *Casus.* q. 5. n. 5. Armilla V. *Absolutio.* n. 25. & alibi. ejusmodi Confessarios posse absolvere à censuris Episcopis reservatis: & dispensare in votis, in quibus ipsi Episcopi possunt juxta diversorum Pontificum indulta, etiam extra suos Conventus. Idem dicendum est de juramentis, dummodò non sint in præjudicium tertii.

429. Quin-

429. Quinque autem sunt vota Pontifici reservata, à quibus Episcopi absolvere nequeunt. Votum scilicet *castitatis* perpetuæ, absolutæ & integræ. *Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, Compostellam, ultra marinum ad terram Sanctam.* De quibus vide Lessium lib. 2. cap. 40. & meipsum tract. de Votis in communi cap. 23. per totum.

Casus Pontifici reservati.

430. Nec officit conclusioni meæ facta quædam declaratio Cardinalium authoritate Clementis VIII. quâ ea à casibus, tùm Sedi Apostolicæ, tùm ab Episcopis reservatis, absolvendi potestas videtur regularibus generaliter ablata. Nam hoc non nisi pro sola Italia, non verò pro aliis Provinciis declaratum fuisse, patet ex ipsa declaratione, quam refert Quaranta in Summa Bullarii tit. *Casus reservati.* Pag. 162. quod confirmant multi Doctores, quos lege in compend: qq. regul. resol. 3. n. 35.

Solvitur difficultas.

431. Extenditur hæc potestas ad quoscunq; subditos etiam alterius Diœcesis undecunque venientes, ut docet Suarez de Pœnit: disp. 30. sect 3. n. 14. & 15. Villalobos tract. 9. diff. 62. & alii, qui scripserunt post datam declarationem.

432. Dico 2. Cistercienses Confessarii per communicationem Privilegii Societati JESU concessi à Paulo III. possunt absolvere ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini; nec non à quibus-

Ampla potestas circa casus Pontifici reservatos.

buſcunque cenſuris tàm à jure, quàm ab homine etiam ſpecialiter & nominatim latis, dummodò parti ſatisfactio fiat, & ſi detur ſufficiens cautio de ſatisfaciendo, etiam in foro fori extra Sacramentum pœnitentiæ. Ut patet ex quadam declaratione Pii V. Ita ſcilicet, ut abſolutio à peccatis fiat in confesſione Sacramentali, & abſolutio à cenſuris extra illam fieri posſit. De quo videantur ea, quæ adducuntur apud Rodriq. cit. in compend. qq. Regul. reſol. 3. n. 36.

Quænam ſint cenſuræ à jure vel ab homine latæ.

433. Quæres quid intelligatur per ly *à cenſuris à jure vel homine latis?* Reſpondeo, id intelligendum eſſe de cenſuris, quæ abſolutionem à peccatis, vel Sacramentorum ſuſceptionem impediunt: vel de pœnis, quæ à Confeſſore, vel à canonibus pœnitentialibus imponuntur: vel etiam quæ ab ipſo pœnitente ſpontè ſuſcipiuntur. De quibus videatur Rodriq. tom. 1. q. 20. art. 17. Navarrus & alii.

Specialis poteſtas Ciſterc. Auſtriacorum & Boëmorum circa Lutheranor. converſionem.

434. Dico 3. Ciſtercienſes Confeſſarii ſpecialiter in Boëmia & Auſtria poſſunt ad pœnitentiam & fidei communionem recipere quoſcunque Lutheranos, eoſque injunctâ pœnitentiâ plenariè abſolvere, & Eccleſiæ unitati reſtituere. Hoc conceſſit Paulus III. Fratribus Minoribus in Auſtria & Boëmia, quo Privilegio Ciſtercienſes ut communicantes liberè fruuntur.

435. Nec revocatum cenſeri debet pro dictis Regionibus per Bullam Cœnæ, ut in ſimili docet Sola in explicatione Bullæ Cœnæ diſp.

100. n. 2. De Religiosis missis à Papa ad prædicandum hæreticis cum potestate illos absolvendi. De quo videatur Portellus in addit: ad dubia regularia verb. *Communicatio cum hæreticis*. n. 25.

Eorundem potestas in ordine ad parentes & fratres Cisterciens:

436. Dico 4. Parentes Fratrum Cisterciensium plenariè absolvi possunt à culpa & pœna in articulo mortis per Confessorem ab ipsis electum.

437. Ita indulsit Calixtus III. in cit. comp. resol. 3. & licet per Pium V. indulgentiæ aliæ Fratribus directè concessæ sint revocatæ, quod tamen incertum est, ut patebit Capite subsequente, & aliæ sint substitutæ, de quibus ibidem. Non tamen eæ, quæ intuitu Fratrum sunt concessæ, per eam ullatenus revocatæ censeri debent. Undè etiam docet Rodriq: in compend. qq. regul. resol. 77. n. 57. Quòd juxta concessionem Eugenii IV. Procuratores Fratrum, eorumque substituti, liberi, parentes, fratres, sorores, possint promereri indulgentias stationum & alias Fratribus concessas, dicendo in eorum Ecclesiis 5. *Pater noster, & totidem Ave Maria*, pro felici statu Ecclesiæ, quia hoc ipsis concessum est intuitu Fratrum. Illud de mortis articulo tenendum esse de Religiosis, Novitiis, Monialibus, Famulis, Commensalibus, & Servitoribus, Oeconomis, Procuratoribus, docui supra Capite præcedenti.

CAPUT XIV.

Quid possint Cisterciensium Abbates circa Indulgentias.

Quid sit indulgentia.

438. Suppono 1. Indulgentiam ut sic sumptam, esse remissionem jurisdictionalem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus Deo debitæ, facta à Prælato Ecclesiæ, ex communi Ecclesiæ thesauro. Ea verò indulgentia, quæ est per modum suffragii & applicatur animabus Purgatorii est dispensatio seu communicatio thesauri indulgentiarum authoritativè facta à Prælato Ecclesiæ pendens quoad remissionem pœnarum à sola gratuita Dei acceptatione, juxta Rodriq: tom. 2. q. 85. art. 1.

Quid sit indulgentia plenaria.

439. Suppono 2. Indulgentiam plenariam esse remissionem omnium pœnarum pro peccatis omnibus debitam. Differt à Jubilæo, quòd in hoc etiam concedatur resolutio à reservatis juxta stylum Curiæ Romanæ, ut testatur citatus Author art. 3. ubi præthereà docet quòd in concessione plenariæ absolutionis Sacramentalis veniat plenariæ etiam indulgentiæ concessio facienda à Confessario in Sacramento pœnitentiæ.

Restringitur indulgentia aliquandò ad certa

440. Suppono 3. Aliam remissionem concedi ad quadraginta dies, & quadragena: alia in septem, & septena dicitur. Aliæ ad alia tempora restringuntur.

441. Dico 1. Abbates Cistercienses ordina-

riâ

riâ authoritate possunt concedere indulgentias. *tempora.*

Probatur. Quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis, ut colligitur ex capite *Quod autem. de Poenit & remissione.* Sed hic actus ordinariâ authoritate competit jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, ut sunt Cistercienses Abbates, non minus quàm Episcopis. Ut docet Rodriq: tom. 2. q. 87. art. 1. & alii. Ergo etiam concessio indulgentiarum. Ex quo ita sentiunt Sotus in 4. dist. 21. q. 1. art. 4. Sylvester verb. *Indulgentiæ.* Medina *de Indulgentiis* disp. 6. cap. 26.

Abbate. Cisterciens: concedunt indulgentias

Solvitur objectio.

442. Nec obstat Cap. *Accedentibus. de excessibus Prælatorum.* Cùm hoc solùm de Prælatis localibus non habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem; vel de Abbatibus non exemptis, aut exemptis excedentibus, seu concedentibus indulgentias sibi non subditis intelligatur.

Abbates Cisterciens: concedunt indulgentias 40. dierum in Missis solemnibus.

443. Dico 2. Hi Abbates possunt concedere indulgentias in Missis solemnibus tantas, quantas Episcopi scilicet 40. dierum. De quo videatur Tamburinus tom. 2. disp. 9. q. 2. qui asserit Abbatem quendam Congregationis Lateranensis hac potestate usum fuisse Romæ juxta concessionem Pii V. illi Congregationi factam, præsentibus 12. Cardinalibus ad annum 1624. idque Cisterciensibus competit vi communicationis Privilegiorum.

Item dum concionantur.

444. Dico 3. Dicti Abbates quoties publicè concionantur, possunt suis Auditoribus indul-

gentias 40. dierum elargiri. Id possunt Concionatores Fratrum Minorum ex indulto Alexandri IV. & per Gregorium IX. conceduntur quindecim anni indulgentiarum audientibus prædicationem dictorum Fratrum, ergo etiam idipsum possunt Concionatores Cisterciensium gaudentes eorum Privilegiis, & maximè ipsimet Abbates. Dixi *maximè*. Quia juxta Rodriq: cit. hoc videtur quoad Concionatores in dignitate non constitutos non esse in vsu.

Abbates Visitatores plenariam indulgentiam concedunt absolutâ visitatione.

445. Dico 4. Absolutâ visitatione Abbates Visitatores plenariam indulgentiam elargiri possunt visitatis.

Hoc Privilegium concessit Provincialibus Ordinis Minorum de observantia Leo X. & Societatis JESU Visitatoribus id concessit Gregorius XIII. apud compendium ejusdem Societ: titulo *Visitator*. Quo Cisterciensium Visitatores liberè & licitè per communicationem utuntur. Id testatur Rodriq: in compend: qq. regul. resol. 77. num. 6.

446. Difficultas videtur de publicatione indulgentiarum, an scilicet Abbates Cistercienses eas promulgare possint: cùm juxta Concilium Tridentinum Sess: 21. cap. 9. id pertineat ad Episcopum adhibitis duobus de Capitulo. Circa quam.

Abbates Cisterciens: possunt

447. Dico 5. Indulgentiæ Cisterciensibus Religiosis concessæ possunt ab Abbatibus & Superioribus eorundem in Monasteriis & domibus Ordinis promulgari. Quod

Quod indubitatum esse debet: cùm sint prædicti Abbates suorum Religiosorum Ordinarii, ideòque non prohibentur in dicto decreto Concilii, nec suspenduntur in Bulla cruciatæ, quæ aliàs in contrarium videbatur. Ut docet Rodriq: tom. cit. q.98. art. 1. De quo videatur Navarrus de Indulgentiis notab. 31. Henriq: lib. 7. de Indulgent: cap. 20. lit. S. & alibi. *promulgare indulgentias non obstante Concilio Trident.*

448. Dico 6. Indulgentiæ fidelibus communes, quæ à Summis Pontificibus per Provincias mittuntur, subditis promulgandæ sunt ab Abbatibus, qui sunt nullius Dioecesis, quales sunt Cistercienses. *Indulgentiæ Papales à Cisterciensibus promulgandæ sunt suis subditis.*

Cùm enim id Ordinariis locorum in Bullis Pontificiis jubeatur, id præfati Abbates facere tenentur: cùm respectu suorum subditorum in materia jurisdictionis Ordinarii nomine veniant, ut sat constat ex dictis alibi.

449. Caveant tamen, nè in tempore promulgationis Jubilæi discrepent cum Episcopis ad evitandas populi offensiones. Quorum si nullum subsit periculum, salvo tenore rescripti possunt pro suo libitu tempus indulgentiarum promulgare.

CAPUT XV.

De Indulgentiis Fratrum Cisterciensium.

450. REvocavit Paulus V. anno 1606. Pontificatus sui anno 1. omnes indulgen- *Proponitur dubium.*

circa revocationem indulgentiarum, &c. tias per suos antecessores concessas regularibus, & loco illarum alias substituit in const. *Romanus Pontifex.* De quibus in sequentibus.

451. Dubitabatur; an non eadem revocatio sublata sit per eundem Pontificem eo ipso, quod post illam revocationem concesserat Fratribus Minoribus recitantibus Coronam B. Virginis indulgentiam plenariam, addens se id de novo concedere non obstante suâ generali revocatione indulgentiarum; deindè quòd idem Pontifex post dictam revocationem confirmaverit omnes gratias, concessiones & indulta spiritualia; & licet nullum verbum faciat de indulgentiis, addit tamen se revocare omnia, & singula concessa sub quacunque forma & expressione verborum, cum omnibus clausulis, declarationibus quibuscunque, acsi de verbo ad verbum in suis literis insererentur, &c. non obstantibus quibuscunque. Circa hoc duplex est opinio Portelli in dub. reg. verb, *Indulgentia.* num. 12. §. *Secundum Principale.* Negantis. & Rodriq: in comp. qq. regul. resol 77. n. 6. §. *His tamen non obstantibus.* Confirmantis, qui ipsi in re dubia videantur. Hic sufficiat id, quod certum est, *Conceduntur indulgentiæ.* adjicere nimirum indulgentias à Pio V. pro Regularibus taxatas. Ut videre est apud cit. compend. n. 46. & sunt sequentes.

1. 452. Primò concedit plenariam indulgentiam fideli Christiano suscipienti habitum in Religione approbata, præmissâ tam Sacramen-

mentali confessione & communione. 2. Et his 2.
præmissis eandem concedit plenariam Novitio
profitenti in die professionis.

453. Plenariam concessit in Festo principali 3.
Ordinis apud Cistercienses S. Bernardi, omnibus Religiosis, si prius confessi fuerint, & sacrâ communione refecti, ac præterea oraverint pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, exaltatione Ecclesiæ, & salute Summi Pontificis.

454. Plenariam tribuit indulgentiam in articulo mortis, si verè pœnitens, confessus & sacro Viatico refectus sit, quod si facere non valeat, sufficit cordis contritio, pronunciatio & invocatio Sanctissimi nominis JESU ore vel corde, si ore non possit. 4.

455. Plenariam concedit Sacerdotibus primam Missam celebrantibus post Sacramentalem confessionem, & cuivis Religioso illam audienti eadem conceditur plenaria, si prius celebravit confessus, vel sacrâ Eucharistiâ sit communicatus. 5.

456. Qui per 10. dies cum licentia ab aliorum conversatione separati, sese spiritualibus exercitiis, orationibus mentalibus, aut lectione librorum spiritualium impenderint, factâ tamen confessione generali totius vitæ, vel anni unius, vel ordinariâ, & sumptâ Eucharistiâ plenariam indulgentiam & remissionem omnium peccatorum consequuntur; & hoc toties, quo- 6.

ties de licentia superiorum factum fuerit.

7. 457. Quicunque Religiosus intra clausuram vivens & visitans suam propriam Ecclesiam, oransque devotè pro pace Principum Christianorum, & pro cæteris relatis in tertio indulto, lucratur omnes indulgentias concessas visitantibus Ecclesias intra vel extra muros Romæ in diebus stationum, acsi easdem ipse visitâsset. Idem de aliis sæcularibus Fratrum Parentibus, Fratribus, Sororibus, &c. docui supra. De quibus Rodriq. tom. 2. q. 88. art. 1. & sequentibus. Item q. 90. & sequentibus, & in ejusdem comp. qq regul. resol. 77. à numero 20. usque ad 33. inclusivè.

8. 458. Cuilibet Religioso in Claustro viventi & recitanti coram Altari suæ Ecclesiæ singulis diebus quinquies Pater noster, cum Ave Maria. Concedit quinque annos & totidem quadragenas indulgentiæ. Idem lucrantur itinerantes, vel extra claustra existentes de licentia Prælatorum, recitantes easdem orationes coram Altari alicujus Ecclesiæ.

9. 459. Religiosis per spatium unius mensis singulis diebus habentibus mediam horam orationis mentalis, & in ultima Dominica ipsius mensis confessis, & sacrâ communione refectis, concedit sexaginta annos & totidem quadragenas indulgentiæ.

10. 460. Qui accusant in Capitulis suas culpas, imperfectiones & peccata contriti ac communica-

nicati, habentesque exercitium virtutum, habent tres annos indulgentiæ & totidem quadragenas.

461. Religiosus à Papa vel Superiore suo missus ad terras infidelium vel hæreticorum prædicandi causâ; velCatholicos ibi docendi, vel hæreticos convertendi, seu infideles reducendi, si ad id prius confessus Sacramentaliter & communicatus fuerit, plenariam indulgentiam consequitur. Quod bis distinctis vicibus lucrari potest. 1. In die receptionis dictorum Sacramentorum, & 2. In ingressu Provinciæ ad quam mittitur. 11.

462. Si Superior pro facienda visitatione Generali 40. Horarum preces indixerit, ii, qui duabus saltem horis diversis etiam vicibus interfuerint, & pro concordia Principum Christianorum, hæresum extirpatione, exaltatione fidei, salute Papæ, & augmento regularis disciplinæ devotè oraverint, indulgentiam plenariam & remissionem omnium peccatorum consequuntur. 12.

463. Circa prædictas indulgentias quæri posset 1. An in Monasteriis, in quibus hæ indulgentiæ non sunt publicatæ à superioribus, Religiosi iis frui possint? Respondeo, eas à superioribus promulgandas esse, non tamen earum promulgationem esse de valore indulgentiarum, illud, non hoc Pontifex exigit. Imo Layman; in Theol: morali lib. 5. tract. 7. c. 6. n. 5.

Religiosus ignorans has indulgentias lucratur, si opus præscri

plum faciat. n. 5. docet eum etiam lucrari indulgentias prædictas, qui illarum nesciens, aut de ea non cogitans, opus tamen præscriptum facit.

Indulgentiæ pro defunctis. 464. Quæri posset 2. Cur in præfatis nulla, quæ defunctis applicetur, indulgentia concedatur? Respondeo, sufficit quòd implicitè concedantur indulgentiis stationum & Ecclesiarum Urbis Romanæ, in quibus frequens est ejusmodi ex Purgatorio animarum liberatio. De quibus videantur citati maximè Rodriquez compend: qq. regul. resol. 77. à num. 20. usque ad 33. inclusivè.

465. Hic de indulgentiis sæcularium Cisterciensia Monasteria visitantium, conciones frequentantium, &c. multa adduci possent, quæ brevitatis causâ omitto, facilè percipienda ex comp: Rodriq: qq. regul. resol. 77. titulo *De Indulgentiis quoad sæculares.* à n. 48. & sequentibus. Hic videantur ea, quæ dixi p. 2. c. 5. à num. 229. de gratiis in Capitulo generali obvenire solitis. Hic prodest eam, quam anno 1653. Innocentius X. concessit pro Festo S. Bernardi, adduxisse.

Indulgentiæ concessæ in festo S. Bernardi ab Innocentio Papa X.

INNOCENTIUS PAPA X.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

466. *AD augen. Fidelium religionem, & animarum salutem, coelestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, Omnibus utriusq; sexus Christi*

sti fidelibus verè poenitentibus, & confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Domorum Monachorum] Ordinis Cisterciensis nuncupat. Ubique existen. quibus Ecclesiis, earumque Capellis, & altaribus sive omnibus sive singulis, easque vel ea, aut illarum, seu illorum singulas, vel singula etiam visitan. nulla alia Indulgentia reperitur concessa, die festo ejusdem Sancti Bernardi à primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus in quocunque anni die aliquam ex dictis Ecclesiis, sive Capellam, aut, altare in qualibet ex prædictis Ecclesiis existen. respectivè visitan. aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura etiam in erectione, & quocumque alio modo quantumlibet privilegiato concessa fuerit, vel si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut spontè oblat. recipiatur præsentes nullæ sint eo ipso: Quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhibere-

tur,

tur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii M. DC. LIII. Pontificatus nostri Anno Nono.

CAPUT XVI.

De Potestate Abbatum Cisterciensium circa Sacramentum Ordinis.

Abbates Cistercienses possunt conferre primam tonsuram & quatuor minores. Probatur dicta de Abbatibus benedictis & perpetuis.

467. DIco 1. Possunt Abbates Cistercienses jus Mitræ & Baculi habentes, si sint benedicti conferre suis regularibus primam tonsuram & quatuor minores.

Constat ex jure communi Cap. *Quoniam videmus*. Dist. 69. & praxis docet. Imò cùm hoc Privilegium sit facultativum, & ad dignitatem Abbatialem pertineat, ei per non usum Abbates derogare non possunt: quin etiam post longum tempus mutatâ voluntate eo uti possint. Ut juxta Felinum in cap. *Cùm accessissent. De const.* docet Rodriq: tom. 1. q. 18. art. 1. in fine. Et in simili de consecratione & benedictione calicum, &c. Llamas p. 4. cap. 3. ex eodem Felino. Imò

Item à potiori de Abbatibus non benedictis & temporalibus.

idipsum possunt non benedicti, si Episcopus ter debitè requisitus, benedictionem elargiri nolit, ut concessit Alexander III. Cisterciensibus prout insertum habetur in jure communi Cap. 1. *de Supplem. neglig. Prælat*: Idem concessit iisdem Urbanus III. Denique Abbates Congregationis Hispanicæ, etsi sint temporales & benedici

dici non soleant, suis Religiosis tamen dictos ordines conferre possunt. Ex concessione Eugenii IV. an autem defacto Cisterciensium Abbates benedicendi sint ab Episcopis, resolvi p. I. c. 4. n. 19. negativè, idem patet ibidem n. 117. & magis constabit infra cap. 18.

468. Neque dubium est quin dictos ordines præfati Abbates suis Novitiis conferre valeant: quia hi gaudent Privilegio Professorum in favorabilibus, juxta Dianam tract. 2. de dub. regul. resol. 73. & alios. Item Religiosis aliorum Monasteriorum, qui in Monasterio ipsorum hospitantur, & inhabitant, conferre possint, etiam sine licentia proprii Abbatis illius, qui ordinatur, maximè si ordinans sit Vicarius Generalis, aut alius Abbatis superior jurisdictionem superiorem in regulares exercens, aut jus visitandi habens: nam respectu horum religiosi sunt verè subditi. Hoc ipsum aliis Abbatibus tribuit Tamburinus tom. 2. disp. 2. q. 14.

Quid in casu sentiendum de Novitiis. Quid de hospitibus.

469. Dubitari posset, an sæcularibus prima tonsura, aut quatuor minores à dictis Abbatibus conferri possint? Ad quod respondet Barbosa in Collect. ad Concilium Tridentinum sess: 21. cap. 10. cum aliis quos citat, affirmativè; etsi aliàs jurisdictioni Episcopi subsint, modo specialem licentiam & dimissorias ab Episcopo habuerint. Quod si Laicus tàm in temporalibus quàm spiritualibus Abbatis jurisdictioni subjectus, ab ipso bonâ fide dictos ordines

Qualiter & quibus sæcularib. prima tonsura à Cisterciens: Abbatibus conferri possit.

sulci-

susciperet, an egeat dispensatione, vel denuò, si Clericus esse velit, ordinari debeat? Ad quod respondet Congregatio Cardinalium apud Barbosam citatum ad cit. Sessionem Concilii Tridentini prædictum Laicum sic ordinatum non egere novâ ordinatione, sed dispensatione.

Abbates Cistercienſ. ſuis Religioſis commendatitias dare poſſunt.

470. Dico 2. Abbates Cistercienses suis religiosis ut ordinentur commendatitias dare possunt.

Hoc constat ex praxi, imò vi illarum tenetur Episcopus eos sic commendatos ordinare, si aliunde nihil obstet, juxta declarationem Cardinalium ad requisitionem Generalis reformationis Congregationis S. Bernardi in Hispanis, ut invenio apud Henriq. in eorum Privilegiis num. 44.

Solvitur objectio ex Concilio Tridentin.

471. Difficultas est de sæcularibus, quia Concilium Tridentinum Sess. 3. c. 10. id negare videtur. Ait enim: *Abbatibus aut aliis quibuscunque exemptis non liceat inposterum intra fines alicujus Dioecesis consistentes, etiamsi nullius Dioecesis vel exempti dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre, nec ipsi Abbates & alii exempti, &c. literas dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur concedant, non obstantibus quibuscunque.* Hujus decreti transgressoribus ibidem imponitur ipso facto pœna suspensionis ab officio vel beneficio per annum. Ad quod respondeo hoc verum esse de subditis non subjectis

Abba-

Abbati aut Monasterio Cisterciensium, non verò de subjectis Clericis sæcularibus, juxta doctrinam Barbosæ de Potest. Episc. p. 2. Alleg. 2. n. 8. Dianæ p. 3. tract. 2. resol. 98. Et ex Villalobos, Sanchez, &c. qui generaliter asserunt eos Abbates, qui sunt Ordinarii privativè ad Episcopos & possunt visitare & Synodos congregare (ut de Cisterciensibus patet) habere etiam jus dandi dimissorias Clericis sæcularibus sibi subditis.

Qui Cisterc. Abbates ex commissione SS. Pontificis de facto conferre possint ordines majores excepto Sacerdotio. Probatur ab Authoritate. A Privilegio.

472. Dico 3. Probabilius videtur Abbatem ex commissione Summi Pontificis posse esse ministrum etiam majorum ordinum, excepto Sacerdotio, ac defacto id concessum est non solùm Generali; sed etiam quatuor Abbatibus primis Cisterciensium.

473. Hæc conclusio in terminis est Foreri thesi 145. eamque tenent plurimi apud ipsum cum Vasq. tom. 3. disp. 243. n. 4. Henriquez lib. 10. c. 23. n. 1. Ugolinus de Potest. Episcop. c. 29. §. 8. n. 2. & alios quibus addo Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. c. 29. n. 24. Llamas 4. p. c. 3. §. 5.

474. Concessit autem hoc privilegium conferendi ordinem Subdiaconatus & Diaconatus Abbati Cistercii respectu omnium Religiosorum Ordinis Cisterciensis; & quatuor primis Abbatibus in ordine ad suos tantùm professos Innocentius VIII. Anno 1489. Quo Privilegio securè uti possunt post Concilium Tridentinum

sicut

ſicut fecerunt ante illud, juxta doctrinam citati Foreri & Victoriæ dub. 237. Siquidem Concilium Tridentinum nusquam illud revocat, juxta Conink tom. 2. diſp. 20. n. 91. Llama p. 4. c. 3. §. 4. & ſequentibus.

Probatur ab oculatis teſtibus & conſenſu SS. Pontificum. 475. Neque ſublatum eſt per diſſvetudinem longi temporis: tùm quia ex vi Privilegii nemo cogendus eſt, Cap. *Si de terra, de Privileg.* tùm etiam, quia teſtatur Henriquez citatus & Llamas §. 6. ſibi conſtare de uſu hujus Privilegii aſſerens ſe vidiſſe ordinatos à prædictis Abbatibus, quod quia à Sede Apoſtolica non præſumitur, nec credibile eſt ignorari, eaque non contradicat aut inhibeat, cùm facilè posſit, tacito conſenſu hunc uſum ratificat adeò, ut hic ſolus ſufficeret ad comparandum jus conferendi dictos ordines, ſi aliud Privilegium non adeſſet.

Objectio ex Concil. Tridentin. proponitur & reſolvitur. 476. Dices Concilium Tridentinum Seſſ. 23. cap. 8. de Reformatione jubet unumquemque à proprio Epiſcopo & non ab alio ordinari; ergo non ab Abbatibus præfatis. Reſpondeo negando conſequentiam. Nam hic ſolùm excluditur *alius*, qui nimirum ſit alienus & non ordinarius ordinandi, ut rectè notat ſuprà citatus Vaſquez c. 5. n. 57. Non autem excluditur *alius*, qui etſi Epiſcopus non ſit, eſt tamen ex Privilegio ordinarius reſpectu regularis in ordine ad hunc ordinis Epiſcopalis actum.

Confirmatur ſolutio. 477. Confirmatur, quia aliàs ex vi hujus loci nec ipſos minores ordines conferre poſſent

Abba-

Abbates, cum æquè de minoribus ac de majoribus ibi loquatur, ut declarat Congregatio Cardinalium in cit. Tridentini locum n. 1.

478. Quæres, an hoc Privilegium viâ communicationis ad alios Abbates extendatur? Respondeo id minimè videri improbabile, tùm quia omnia primorum illorum quatuor Abbatum Privilegia Gregorius XIV. concessit Abbatibus Cisterciensibus Congregationis Hispanicæ, ergo etiam collationem Diaconatus & Subdiaconatus, quorum quia indultis cæteri Cistercienses Abbates omnes gaudent & fruuntur, consequens videtur, potestatem conferendi dictos sacros ordines, excepto Sacerdotio, omnibus viâ communicationis indirectè collatam esse. *An reliqui Abbates id possint.*

479. Quod confirmari potest ex Bulla Pij V. quâ concessit Ordini S. Hieronymi, ut Privilegia concessa uni Monasterio, hoc ipso toti Ordini concessa censerentur. Confirmatur à pari. Viâ communicationis alij Abbates Cistercienses utuntur Privilegiis concessis quatuor primis Abbatibus, in consecrandis calicibus, aliisque rebus sacris benedicendis, ut patebit Capite sequenti, ergo etiam in hoc munere conferendi ordines. *Confirmantur dicta.*

480. Neque dicas disparitatem esse, quod illud, non verò hoc unquam fuerit in usu apud alios, adeòque hoc non competere illis, maximè cùm Privilegia Cisterciensium non confir- *Solvitur objectio.*

O men-

Non usus non obstat in Privilegiis non onerosis. mentur, nisi quatenus sunt in usu, ut constat ex recentissima Bulla Innocentii X. anno 1653. Respondeo non usum hic minimè obstare, cùm in Privilegiis nemini onerosis aut præjudicantibus non noceat defectus usus, ut rectè docet Tamburinus tom. 1 disp. 16. q. 14. n. 2. quo sensu accipe verba citati Pontificis

De ætate requisita ad S. ordines juxta Concilium Trident. 481 Quænam autem sit ætas ad susceptionem sacrorum ordinum requisita, videantur Authores passim, & clarè expositum legatur apud Tamburinum tom. 2. disp. 11. q. 15. hic sufficiat apposuisse decretum Concilii Tridentin. Sess: 23. de Reformatione cap. 12. ubi statuitur, ut nullus inposterum in Subdiaconatûs ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.

Juxta constitutionem Clementis V. Innocentii VIII. 482. Dicitur *inposterum*. Quia juxta constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi, poterat quis liberè in decimo octavo ætatis anno ad Subdiaconatum, & in vigesimo ad Diaconatum, vigesimo deniquè quinto ad Presbyteratum promoveri. Ut constat ex Clement: *Generalem de ætate & qualitate.* Deindè Innocentius VIII. concesserat Fratribus Minoribus, quòd postquam vigesimum tertium ætatis annum attigissent, si sufficientes essent, promoveri possent ad Sacerdotium & Missas celebrare, non obstante jure antiquo communi, quod triginta

annos

annos requirebat. can. *De his.* 28. dist. can. *Subdiaconus.* 77. dist. can. 1. & 3. & ultimo. 78. dist. apud Tamburinum citatum. Hæc tamen restricta sunt per Concilium Tridentinum non tantum pro sæcularibus: sed etiam regularibus, quia Concilium expressè dicit, *Regulares quoque neque in minori ætate, &c. ordinentur, Privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.*

De tempore ordines conferendi ex jure communi & Concilio Trident.

483. Illud tempus ordinationis servari jubet Concilium Tridentinum Sess: 23. de Reformat. cap. 8. quod de jure communi statutum fuit, ut nimirum sacri ordines non nisi sex anni Sabbatis conferri possint. In Sabbatis Quatuor temporum, in Sabbato ante & post Dominicam Passionis, & in Sabbato sancto. can. *Quo die.* & can. fin. 75. dist. c. 3. de tempore. Ordinat.

Ex Privilegio Eugenii IV.

484. His tamen non obstantibus ex speciali Sedis Apostolicæ Privilegio extra præfixa à jure tempora hi ordines conferri possunt. Hoc concessit Eugenius IV. Ordini S. Benedicti in Hispania, *ut singuli Monachi ejusdem Congregationis præsentes & futuri ad id idonei, quos Prior sui Monasterii ad hoc elegerit, sive nominaverit, semel duntaxat anno quolibet sacros ordines, etiam extra tempora à jure statuta, à quibusvis antistitibus gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus suscipere, dictique antistites eisdem Monachis ordines bujusmodi tunc conferre possint.* Ita habetur in comp. Privil: mendicant: verb. *Ordines sacri.* §. 8.

Ex Privilegio Alexandri 6.

485. Deindè Alexander VI. indulsit Congregationi S. Hieronymi, quòd Prior generalis, & singuli Priores ejusdem Congregationis præsentes & futuri possint eligere quemcunque Episcopum Catholicum communionem Sedis Apostolicæ habentem, qui personas singulorum Monasteriorum hujusmodi idoneas ad omnes etiam sacros & Presbyteratus ordines, etiam extra tempora à jure statuta, tribus diebus Dominicis sivè festivis duplicibus successivè promovere possit, Diœcesanorum licentiâ super hoc requisitâ. Ut habetur in eodem compendio loco citato §. 11.

Possunt Cistercienses ordinari extra tempora à jure statuta

486. Igitur præfati regulares cæterique, qui eorum Privilegiis per communicationem fruuntur, ut sunt Cistercienses, possunt extra præfixa à jure tempora in sacris ordinari, non obstante Concilio Tridentino Sess: 23. de Reform: cap. 8. ubi præcipit, ordinationes sacrorum ordinum statutis à jure temporibus celebrari. Ut dilucidè probat Tamburinus citatus q. 17. n. 2. cui addo Rodriq: Laymann: Barbosam, & alios suprà p. 1. cap. 9. n. 138. citatos. Qui videantur.

A quo Episcopo Cistercienses ordinari possint.

487. Quæres, à quo Episcopo dicti ordines Cisterciensibus conferri possint? Respondeo 1. Juxta Privilegium Eugenii IV. & Alexandri VI. potuisse conferri à quocunque Episcopo. Non obstante Concilio Tridentino Sess: 25. cap. 8. ubi statutum est, *Quod unusquisque à proprio Episcopo*

scopo ordinetur. Id enim non intelligitur de regularibus: hi enim à quocunque Episcopo ordinabantur, & intelligebatur, quòd poterant ordinari absque alia licentia Episcopi ordinarii, ut declaravit Pius V. const. *Etsi mendicantium*. quod ipsum apud Tamburinum citatum testatur Passarel: in suo comp. privil. dummodò suorum Abbatum vel Prælatorum licentiam obtinuissent. *Respondetur 1.*

488. Respondeo 2. Id defacto licere, certis tamen hic ponendis conditionibus, juxta declarationem Illust: Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini ad annnum. 1596. 1. Si Diœcesanus Episcopus absit. 2. Ordinationes non habeat. 3. Sedes Episcopalis vacet, à quocunque Episcopo Cistercienses ordinari possunt. *Respondetur 2.*

4. Si Episcopus absens alteri Episcopo per suam Diœcesim transeunti facultatem ordinandi tradat, ut docet citatus Tamburinus. Qui tamen id negat, si Episcopus præsens alteri Episcopo ordinandi facultatem faceret. Hoc enim casu quod per alium facit, per seipsum facere videtur. reg. *Qui per alium. De regulis juris in 6.*

489. Hæc prædicta servari debent, non tantum à quibuscunque regularibus, sed etiam expressè ab iis, qui sunt nullius Diœcesis, ut nimirum à viciniori Episcopo ordinentur. Juxta declarationem Cardinalium Mense Decemb. anno 1649. apud Naldum in Summ. v. *Ordo*. Laurentium de Peyrinis in Privil. Ord. Min. in annot. ad const. 2. Sixti IV. n. 34. *Dicta servari jubentur etiam ab iis, qui sunt nullius Diœcesis.*

CAPUT XVII.

De Potestate Abbatum Cisterciensium quoad benedictiones & consecrationes rerum sacrarum.

Benedictio est triplex.

499. SUppono 1. Triplices hic venire benedictiones, Personalis, Realis, Localis: vel enim populus solenniter benedicitur, aut electo confirmato Abbati benedictio confertur, & personalis est: vel loca, aut res sivè paramenta ad cultum DEI spectantia benedicuntur. Illa est benedictio localis, hæc realis.

Benedicendi authoritas Abbatibus competit ex Privilegio.

491. Suppono 2. Hanc benedicendi authoritatem Abbatibus non competere præscindendo à Privilegiis, moribus & consvetudinibus. Ut colligitur ex Cap. *Abbates*; Juxta glossam, verb. *Tonsuram*. Ut docent Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 30. Diana p. 3. tract. 2. resol. p. 15. & alij. Est ergo ad hoc Privilegio opus aut consvetudine in illo fundata, quæ modò prævaluit, juxta Tamburinum de Jure Abbatum tom. 1. disp. 23. q. 13. Barbosa de Potest. Episc. p. 2. alleg. 26. n. 36. Mirandam in Man. Prælat. tom. 2. q. 40. art. 4. & alii.

Quæ in benedictione unctionem requirunt.

492. Suppono 3. Aliqua benedici, quæ unctionem requirunt, ut sunt calices, campanæ, &c. Alia verò quæ unctionem non exigunt, ut sunt ornamenta Ecclesiastica. His notatis.

Inqui-

493 Dico 1. Abbates Cistercienses possunt bene-

benedicere Ecclesias, Cœmiteria, Oratoria, corporalia, vasa & omnia ornamenta Ecclesiastica, in quibus unctio Chrismatis non requiritur. Ita docent citati, quibus addo Laymannum in Quæstionib. Canonicis q. 222. Forerum thesi 149. & apud hunc vide plures.

bus non interveniat Abbatib. Cisterciens; benedici possunt Ecclesias, Cœmiteria, & c. & directè.

494. Fundamentum hujus habetur ex Privilegio Innocentii VIII. Constit. *Exposcit tuæ devotionis.* Ad instantiam Joannis Abbatis Cisterciensis dato anno 1489. ubi Abbati prædicto & cæteris quatuor primis Abbatibus hæc potestas confertur directè, & per extensionem reliquis Abbatibus omnibus, qui utuntur insigniis Pontificialibus, nempe, Mitrâ, Baculo, Annulo, &c. conceditur.

495. Idipsum possunt Abbates viâ communicationis per Privilegium Gregorii IX. & Leonis X. qui idem concessit Conventualibus Guardianis & Prioribus, & in absentia eorum extenditur ad Vicarios & Suppriores, seu ad Præsidentes, qui habent principale regimen Conventûs, juxta Innocentium VIII. qui non solùm pro suis usibus, sed etiam pro alienis hoc ampliavit, ut testatur Rodriq: in Compend: qq. regul. resol. 13. n. 2.

Et per viam communicationis indirectè.

496. Hic adverte 1. Quod per ejusmodi benedictionem sine Chrismatis unctione tantis Privilegiis gaudent Ecclesiæ & Cœmiteria, aut alia loca sacra benedicta, quibus aliàs fruerentur consecrata. Ut constat ex cap. finali de Consecratione Ecclesiæ.

Notandum 1.

497. Ad-

Notandum 2. 497. Adverte 2. quòd Sacerdotes alii Cistercienses juxta concessionem Sixti IV. Minoribus factam, possint benedicere omnia ornamenta Ecclesiastica, exceptis corporalibus, quod de facto esse in usu testatur Portell: in Addit: ad dubia, verb. *Benedicere.* n. 2.

Notandum 3. 498. Neque obstat quòd id quoad Fratres Minores sit restrictum solum quoad Guardianos, ut asserit citatus Rodriq: per quoddam Capitulum generale. Id tamen Cistercienfibus non obest, ut ipse fatetur: tùm quia hi ab illo Capitulo non dependent: tùm quia hoc Capitulum circa aliorum communicationem nihil innovare potest, imò licet totum usum Privilegiorum quorumcunque in Ordine suo suspenderent, id minimè aliis Ordinibus, quoad eorundem Privilegiorum usum, propter independentiam præjudicaret.

499. Dico 2. Abbates Cistercienses possunt consecrare Calices, Patenas, Campanas, & cætera omnia, ubi etiam unctio intervenit.

Aliqua, quæ unctionem exigunt, ab Abbatibus Cisterciensibus benedici possunt. Hoc indubitatum est ex citata Bulla Innocentii VIII. vi cujus hoc ab iisdem sæpenumerò practicari vidi. Conceditur autem hæc potestas sigillatim Vicariis generalibus, eamque factam Vicario generali per Boëmiam Reverendissimo Domino Abbati Aulæregensi, patet ex dictis suprà p. 1. c. 8.

500. Hanc sententiam tenent Tamburinus cit. de Jure Abbatum q. 12. Diana p. 3. tract. 2. resol.

Calices. Campanæ &c.

resol. 15. §. *Quoad.* Naldus in Summ. verb. *Abbas*. n. 4. & apud ipsum declaratio Cardinalium facta Romæ anno 1614. 10. Novembris, & alii præter suprà supposito secundo citatos, qui hanc potestatem ad cæteros Abbates Pontificalibus utentes communicativè transmissam docent. Dixi *Pontificalibus utentes*, quia citatus Diana juxta Mirandam in Manuali Prælat: tom. 2. q. 20. art. 4. observat propter non usum Pontificalium eam consecrandi authoritatem malè extendi ad Priores, aut alios mendicantium Ordinum Prælatos.

Abbates Cisterciens: possunt consecrare altaria, portatilia fixa, &c.

501. Ex dictis sequitur & Dico 3. Abbates Cistercienses posse consecrare Altaria, Portatilia, fixa, nova, translata, restaurata, mutata, in quibuslibet locis dicti Ordinis Chrismate sacro prius ab aliquo Catholico Antistite recepto.

Ita loquitur & indulsit Innocentius VIII. citatus, quem si libet videre, potest apud Henriquez p. 140. Privileg: Cisterciensis Ordinis, vi cujus ita docent citati omnes, quibus adjungo Rodriq. tom. 1. q. 28. art. 2. Llamas p. 4. c. 3. §. 4.

NB.

502. Ubi advertendum est quod juxta concessionem Innocentii Altaria, Portatilia, Calices, Campanæ, &c. si aliundè afferantur, ab illis Abbatibus possint in suis Ecclesiis consecrari, & accedat licentia Ordinarii idipsum possunt etiã in Ecclesiis alienis, ut praxis docet in Boëmia.

Extenditur hæc

503. Imò Rodriq: loco citato ut certum supponit, non solùm Abbates Cistercienses perpetuos;

Potestas etiam ad Abbates Triennales. petuos; sed etiam Triennales Hispanos Altaria, Portatilia pro suis Monasteriis, Filiationibus, Prioratibus, Grangiis, imò pro Ecclesiis amicorum, dummodò id faciant in suis Monasteriis, etiam extra, si accedat licentia Ordinarii, consecrare posse. Utrumque esse in usu testatur Manriquez in Prologo Pontificalis Cisterciensis in Hispania.

An possint benedicere aquam Gregorianam. 504. Hic observandum est, quod Innocentius VIII non requirat aquam (quæ dicitur Gregoriana) ab Episcopo prius benedictam; ac proindè videtur iisdem Abbatibus pro consecrandis Altaribus eadem consecrandi potestas attributa; cùm aliquo concesso intelligantur omnia concessa, sine quibus id expediri non potest, nisi expressè excipiantur. De hac aqua infrà redibit quæstio.

Abbates Cistercienses possunt reconciliare Ecclesias suas pollutas sanguine, semine, &c. 505. Dico 4. Abbates Cistercienses possunt Ecclesias suas, sangvinis & seminis effusione pollutas reconciliare vi proprii Privilegii.

Hoc privilegium specialiter concessit ad instantiam Abbatis Cistercii, & primorum quatuor Abbatum Pius II. constit. *Vestrarum devotionum.* Ubi pontifex sic loquitur: *Nos igitur, &c. vobis & cuilibet vestrum, ut quascunque Ecclesias, & monasteria vestri Ordinis regularia hujusmodi quoties fuerit oportunum, dummodò ex homicidio polluta non fuerint, reconciliare valeatis aquâ prius per aliquem Antistitem, ut moris est, benedictâ, authoritate præsentium concedimus facultatem.*

Dico

506. Dico 5. Hi possunt reconciliare Ecclesias quomodocunque etiam homicidio pollutas viâ communicationis juxta Privilegium Leonis X. & Julii II. apud Tamburinum citatum q. 1. n. 3. idipsum tamen fieri debet adhibitâ aquâ cum vino & cinere prius per Episcopum loci, si is per duas diætas, aut bidui iter non distet, benedictâ, aliàs Abbates ipsi hanc aquam benedicere possunt. Ut docet cum Sayro lib. 5. cap. 16. n. 31. Henriq. lib. 9. c. 27. n. 6. Miranda tom. 2. q. 39. & aliis Forerus thesi 151.

Etiam homicidio pollutas.

507. Et ratio habetur ex verbis ipsius Bullæ, Pontificis citati, ubi concedit Generalibus, Provincialibus, Custodibus & Guardianis Minorum, ut Ecclesias pollutas reconcilient aquâ per Abbates benedictâ, *præsertim in locis remotis*, ubi Episcopum benedicentem intra duas diætas adire nequeunt.

Quibus competat benedictio aquæ Gregorianæ.

508. Ex quo infero, tales Abbates absolutè posse, etsi possent adire Episcopum, aquam dictam benedicere, quia ly *Præsertim.* sicut etiam *Præcipuè, maximè.* & similes non excludunt, quominus id possint. Juxta Rodriq: tom 2. q. 100. art. 2. & alios.

509. Quæ omnia licet per usum diutissimè omissa fuissent, ad libitum resumi possunt. Juxta Llamas 4. p. c. 3. ex Felino super Cap. *Cùm accessissent. de constit.* NB.

CA-

CAPUT XVIII.

De Potestate Abbatum Cistercienssium, tùm quoad solemnem benedictionem populo elargiendam, tùm etiam quoad conferendam electis & confirmatis Abbatibus & Abbatissis.

Abbates Cister. ciens: quando, & an benedicant populum.

510. Dico 1. Abbates Cistercienses possunt solemnem populo benedictionem elargiri post Missarum, Vesperarum & Matutinarum solemnia in quibuslibet Monasteriis, Domibus, atque locis dicti Ordinis utriusque sexûs.

511. Ita concessit in terminis Innocentius VIII. citatus supra p. 1. c. 4. n. 19. & juxta Bassæum verb. *Abbas.* n. 6. & Sylvestrum, quem citat. Id conceditur in Ecclesiis ad se integrè spectantibus, cap. *Abbates. De Privilegiis.* in. 6. Hanc gratiam impetrârunt etiam alii: ex continua praxi consvetudo tandem ita invaluit, ut jam non tantùm in Ecclesiis pleno jure subjectis, ut docet Tamburinus tom. 1. disp. 21. q. 2. sed etiam ubicunque, ubi invitati solemniter celebrant, benedictiones solemnes elargiantur.

Abbas Cistercii habet potestatem benedicendi Abbates

512. Dico 2. Abbas Cistercii electis Abbatibus & Abbatissis Ordinis sui benedictionis munus elargiri potest.

Hujus fundamentum est in Bulla Innocentij VIII. citata, quia, ut ipse fatetur, hanc authoritatem

tatem contulit non obstantibus quibuscunque pro conservatione exemptionis & libertatis Ordinis ab Episcopis ordinariis, qui prætextu benedictionis novorum Abbatum & Abbatissarum jurisdictionem & superioritatem in eos & eorum Monasteria contra dicti Ordinis Privilegia prætendere præsumebant.

513. Dico 3. Abbas Cistercii eam benedicendi potestatem conferre & delegare potest suis Vicariis.

Id habetur juxta constitutionem Clementis VIII. constit. *Decet Pontificem.* Anno 1604. & avita consvetudo & usus docet: tàm in Monasteriis virorum quàm mulierum, ut apertè constat in Monialium Monasteriis specialiter existentibus in Moravia & Lusatia, ubi à paucis, tribus circiter, annis defunctis venerabilibus Abbatissis, aliquot in diversis Monasteriis, per liberam Conventualium Virginum electionem præsidente Reverendissimo Domino Abbate Aulæregiæ Domino Jacobo Visitatore Cisterciensium per Boëmiam, Moraviam & Lusatiam electæ, ab eodem benedictæ sunt, & ante paucas septimanas Venerabilem Dominam Ursulam neoelectam Abbatissam Tischnoviensem in Moravia, benedixit, authoritate etiam specialiter denuò sibi delegatâ à moderno Abbate Generali Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Claudio Vaussin, ut patet p. 1. c. 8. n. 117.

Abbas Cistercii eam benedicendi potestatem aliis & quibus eam conferat.

514. Quoniam autem nec unicus in Concilio

His non obstat Concilium Tridentinum. lio Tridentino aut aliis Summorum Pontificum Bullis locus reperitur, qui hanc authoritatem sivè quoad benedictiones Abbatum aut Abbatissarum, explicitâ, speciali, clarâ, & expressâ factâ derogationis mentione deroget (quod tamen, ut suprà sat ostensum est, ex diversis Summorum Pontificum indultis & specialiter ex Bulla Gregorii XIII. confirmatâ à moderno Summo Pontifice Innocentio X. Anno 1653. ad ejusmodi derogationem, Canones & Doctores passim requirunt & judicant omninò esse necessarium) ac prætereà cùm adversa pars nunquam, ut literæ apud me contestantur, eam expressam revocationem adducat, nec adducere possit, à præhabita & usu inveterata hac jurisdictione nequaquam est recedendum.

Hic incidenter libuit apponere fundamentum eorum, qui nonnullam sibi quoad electionem Abbatissarum jurisdictionem 515. Ex quo hic incidenter infero illam responsionem Cardinalium, prout lego in impressis duabus Bullis Gregorii XV. & Urbani VIII. authoritate Episcopi Olomucensis denuò Brunæ impressis Anno 1644. & specialiter ab Olomucensi Consistorio Abbati Wellehradensi Cisterciensis Ordinis communicatis, illam inquam responsionem nec in minimo Privilegio Cisterciensium præjudicare: cùm nulla ibi mentio ullius derogationis exprimatur, ut patet. Respondet enim præfata Congregatio, Regulares ex eadem scilicet constitutione Gregorii XV. ita teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque ad præfinitum tempus expectare,

re, si antea ipse expressè declaraverit se uti velle facultate sibi hac parte attributa, Abbatissarum electionibus per se vel per alium interesse ac præsidere, Post eam verò declarationem licere Episcopo animadvertere in regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem nonsignificatâ ad Abbatissæ electionem procedunt. Hanc totam posui, quia pro fundamento contrariæ partis adducebatur. *compe-tere sole-bant.*

516 Sed quis non videat hic non tantùm quidpiam clarè derogari, imò potius Cisterciensium Privilegia confirmari, cùm, ut ex sæpè probatis indubitatum est, nomine Episcopi in materia jurisdictionem concernente veniant Cisterciensium Abbates, & in præsenti casu Vicarii generales ejusdem Ordinis, qualis est sæpe memoratus Dominus Abbas Aulæregiæ, qui Ordinarius & quasi Episcopus in sibi subjectos & subjectas regulares, licitè, validè & laudabiliter ordinariam, & in hoc passu sibi delegatam jurisdictionem exercet. *Præce-dentium solutio*

517. Quo sensu etiam intelliguntur ea, quæ in Concilio Tridentino Sess: 25. cap. 5. præcipiuntur, nè quis ingrediatur Monasteria Monialium sine licentia in scriptis obtenta Episcopi aut Abbatis jurisdictionem quasi Episcopalem exercentis. *Eluci-datur sensus Concilii Trident. Sess. 25. cap. 5.*

518. Qualiter etiam intelligi debent verba illa ejusdem Sess: cap. 17. explorationem voluntatis Puellarum ante habitûs susceptionem *Item cap. 17.*

fieri

fieri debere ab Episcopo, seu Ordinario, id est, Abbate, nam hic est propriè dictarum Regularium Ordinarius, cui quia dictæ Moniales subjiciuntur, ut constat ex dictis, imò cùm hic consentiente Abbatissa & Conventualibus Novitiam recipiat, id etiam ipsi concessum censetur sine quo hæc receptio fieri nequit: scilicet sine prius explorata illius voluntate, juxta citatum Concilii Tridentini Decretum.

Solvitur dubium incidens. 519. Quæres incidenter, An licentia in scripto semper requiratur? Respondeo 1. Id non intelligi pro foro conscientiæ, sed externo. Pro illo sufficit, ut Episcopus seu Abbas consentiat. Respondeo 2. In casibus ordinariis non requiritur consensus & licentia Episcopi aut Abbatis in scripto, Ita sine hac ingrediuntur Medici, Chyrurgi, Carpentarii, Cæmentarii, & similes, juxta Dianam p. 3. resol. 18. de dubiis Regul. quibus sufficit interpretativa & tacita Superioris voluntas.

CAPUT IIX.

De potestate Abbatum & Religiosorum Cistercienſium circa Sacramentum Baptiſmi, & Euchariſtiæ

Cisterciens: possunt baptizare, defici- 520. Suppono 1. extra dubium esse quòd possint Cistercienses baptizare in extrema necessitate, deficiente tamen alio Sacerdote; & licet alii sæculares adsint formam Ba-

ptismi

ptiſmi pronunciare ſcientes. Imò idipſum licet Religioſo excommunicato, non tamen denunciato. Juxta Sayrum lib. 2. de Cenſ. c. 2. n. 16.

ente alio Sacerdote, in extrema necessitate. & extra illam cum licentia Parochi.

521. Suppono 2. Certum eſſe ex cap. *Placuit.* 2. 16. q. 1 quod extra caſum necesſitatis vel ſine licentia Parochi, mortaliter peccent baptizantes Religioſi, juxta citatum cap. *Placuit.* Non tamen ob id incurrunt aliquam excommunicationem aut irregularitatem, cùm id in jure nullibi exprimatur, ut teſtatur Rodriq: in Compend: qq. regul. reſol 12. ſicut ſub cenſura expreſſè prohibetur adminiſtratio Euchariſtiæ, Matrimonii, & Extremæ unctionis, de quibus in ſequentibus.

522. Suppono 3. Certum eſſe, quòd Eccleſia, modò curam animarum etiam Religioſis Commiſerit, eos baptizare poſſe, juxta quotidianam experientiam. His ſuppoſitis.

523. Dico. Licet Ciſtercienſibus tùm Abbatibus, tùm Monachis curam animarum exercentibus baptizare.

Ciſtercienſ: curam animarum exercentes baptizant.

Hoc probatione non eget factâ ſuppoſitione tertiâ, ex qua id conſequitur & praxis docet. Quinam autem baptizandi veniant videri poſſunt apud alios pasſim. Circa baptizantem obſerva hunc debere habere. 1. Intentionem baptizandi, etſi id faciat etiam propter lucrum aut quemcunque finem extrinſecum, qui non immutat finem principalem & intentionem intrinſecam baptizantis. 2. Requiritur, ut abhibeat

Baptizantes tria requirunt.

beat debitam materiam & formam, illamq; sciat applicare. 3. Ut Sacerdos solenniter baptizans sit in gratia, quia juxta Bassæum verb. *Baptismus* fol. 25. & alios cum conscientia peccati mortalis solemniter baptizans lethaliter peccat. Dixi *Solemniter*. Quia in necessitate sine solemnitate vel sine ceremoniis in Ecclesia consvetis baptizans, non peccat mortaliter, etsi peccato mortali aut in excommunicatione existat, cùm non sit Minister consecratus ad hunc effectum, nec excommunicatio impediat, quin possit in necessitate baptizare. Ut juxta Filiucium tract. 2. c. 4. q. 8. tradit Bassæus citatus.

An Cistercienses possint agere patrinos in Baptismo.

524. Hic quæri posset, an Cistercienses eorumque Superiores possint agere Patrinos in Baptismo? Respondeo, id de facto affirmativè docet experientia, & consvetudo in iis Religiosis, qui cum externis conversantur. Quamvis id negandum putem de iis, qui ex toto solitariè vivunt. Dixi *De facto*. Quia nemo dubitat, utcunque in jure versatus, id antiquo jure fuisse prohibitum, ut patet cap. *Non licet.* dist. 4. de Consecratione. Quod sub peccato mortali de facto servari volunt Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 60. n. 21. & Laymannus lib. 5. tract. 1. c. 9. sed in hoc non sunt audiendi: tùm quia consvetudo aliud docet; tùm quia ratio legis in citato loco de facto cessat, quæ erat ne osculentur fœminas, quod modo non contingit.

CA-

CAPUT XX.

De Potestate Abbatum Cisterciensium quoad Sacramentum Eucharistiæ.

525. DIco 1. De fide esse ex sensu Ecclesiæ, traditione, & Conciliis Nicæno 1. cap. 14. Lateranensi cap. *Firmiter.* Tridentino Sess: 22. can. 8. solum Sacerdotem ritè consecratum esse Ministrum consecrationis SS. Eucharistiæ. Ratio est, quia solis Sacerdotibus Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Conclusio 1. Quis sit Minister consecrationis SS. Eucharistiæ.*

526. Undè sequitur quod quilibet Sacerdos eo ipso quòd characterem Sacerdotalem habeat validè consecrabit, licet sit peccator, hæreticus, vel schismaticus, excommunicatus, suspensus, aut interdictus, irregularis aut degradatus, dummodò verba consecratoria integrè pronunciet supra materiam debitam cum intentione faciendi, quod Christus instituit. De quibus videatur D. Thomas q. 82. art. 5. 7. 8. Suarez disp. 61. sect. 3. & alii.

527. Dico 2. Ministrum ordinarium collationis Sacramenti Eucharistiæ esse solum Sacerdotem non quemcunque, sed cui ex officio incumbit, vel ex commissione, vel aliquo Privilegio. Videatur D. Thomas citatus art. 3. Rodriq: in Summ. cap. 67. n. 1. & alij. *Conclusio 2.*

528. Dico 3. Abbatibus Cisterciensium, *Conclusio 3.*

eorumque Regularibus curam animarum habentibus id muneris competit.

Hoc indubitatum est, cùm in suo territorio etiam circa hoc tantum possint, quantum Episcopus in sua Diœcesi, ut in superioribus sat probatum est. Circa hoc.

529. Certum est. 1. Ex Privilegio Nicolai IV. constit. *Honestis desideriis.* Cistercienses posse audire confessiones pauperum in hospitalibus Monasteriorum suorum existentium, eisque Ecclesiastica Sacramenta ministrare.

530. Certum est 2. quod in Ecclesiis suis quocunque tempore hoc Sacramentum cuicunque advenienti administrare possint: tùm vi proprii Privilegii ab Eugenio IV. concessi: tùm per communicationem Privilegiorum cum Mendicantibus, quibus id licet, ut consvetudo manifestat & continua praxis.

Solvitur quæstio 531. Difficultas sola esse posset, an tempore Paschatis in eorum Ecclesiis consistentes & communicantes præcepto Ecclesiæ satisfaciant circa confessionem annuatim semel circa Pascha faciendam?

532. Respondeo, dubium non esse, quin etiam alieni Parochiani satisfaciant, si id contingat cũ licentia sui Parochi, aut ex consvetudine Parocho non contradicente: Ita enim nihil præjudicatur jurisdictioni alterius. Cujus tamen consensus si desit, excipe articulum mortis, nullatenus confitens, ejusmodi obligationi satisfacit.

Laym.

Layman. Lib. 5. tract. 4. c. 7. Imò si advenæ & peregrini sint nullâ licentiâ opus est, cum ii illius Diœcesis censeantur, in qua pro tempore reperiuntur.

533. Hic observa. Posse Cistercienses altare portatile erigere in quibusvis arcibus & castris, ibique clarè divina celebrare, quo fugiunt tempore belli. Juxta concessionem Urbani V. possunt etiam tempore interdicti generalis, ejectis excommunicatis & interdictis, eadem divina celebrare januis clausis, voce tamen submissâ. Juxta Eugenium III. constit. *Sacrosancta.* & voce clarâ januis clausis & pulsatis campanis, juxta Urbanum IV. constit. *Devotionis.* Clausis januis tamen voce clatâ juxta Privilegium Joannis XXII. constit. *Inter cæteros.* *Cistercienses possunt erigere altare portatile, &c. tempore belli. Possunt divina celebrare tempore interdicti & qualiter.*

534. Dices, Concilium Sess: 25. c. 12. videtur revocare Privilegia Mendicantium de celebratione tempore interdicti. Sed negativè respondet Henriq: lib. 13. cap. 48. n. 1. Sayrus de Cens. lib. 5. cap. 13. n. 24. Rodriq, in qq. regul. tom. 2. q. 12. art. 1. Joannes La Crux de Statu relig. lib. 2. c. 7. disp. 2. concl. 2. qui asserunt specialia regularium Privilegia, ut pro festis & aliis certis diebus, non servent interdicta non esse revocata à Concilio Tridentino, quod tenendum esse asserit Diana resol. 134. p. 3. de Dub. regul. *Solvitur objectio 1. ex Concil. Trident.*

535. Hic observa 2. Posse Cistercienses viâ communicationis ex Privilegio Gregorij XIII. *Solvitur ex eodem. i Concilio objectio 2.*

facto Societ: JESU, & juxta praxim modernam etiam in locis honestis & decentibus super altare portatile celebrare, non obstante Concilio Tridentino Sess: 22. quo prohibetur ne deinceps Ordinarij permittant in privatis ædibus celebrare.

Possunt Cistercienses ante lucem diurnam Missam celebrare.

536. Observa 3. Posse Cistercienses ante se circa diurnam lucem Missam celebrare aut celebrari curare, juxta concessionem Innocentij VIII. constit. *Exposcit.* Eo tamen parcè utendum dicit Pontifex, quia cùm in altaris officio immoletur Dominus noster DEI Filius JESUS CHRISTUS, qui candor est lucis æternæ, congruit, hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Ita citatus Pontifex.

Observa constitutionem Concilij Trident. circa numerum Missarum.

537. Hic observa deniquè constitutionem Concilij Tridentini Sess: 25. de Reform: cap 4. circa Missarum numerum, qui nonnullis Ecclesiis ex defunctorum relictis incumbit. Si pro his singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, & alius propter Eleemosynæ tenuitatem se submittere non possit huic muneri, concedit dictum Concilium, Abbatibus & Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis generalibus re diligenter perspectâ, possint circa hoc quidquid in Domino visum fuerit statuere. Ita tamen ut eorum defunctorum semper commemoratio fiat, quia pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt.

538. Circa hoc videantur declarationes Cardina-

dinalium apud Barbosam ad citatum cap. 4. dictæ Sessionis. An autem hoc possint Abbates extra Concilium generale saltem cum consensu Conventûs, alij id affirmant: siquidem id Episcopis extra Synodum Dioecesanum concedunt, in quibus Cisterciensium Abbates quoad jurisdictionem Episcopalem in suo territorio non discrepant.

539 Sed consultum est id fieri authoritate Capituli aut Abbatis generalis ejusvè vices agentis Vicarii generalis, aut in Capitulis Provincialibus, quia si reditus sint sufficientes, Monasterio de Sacerdotibus ad satisfaciendum providere debent, vel si reditus desint, numerum dictarum Missarum diminuere aut etiam tollere possunt, juxta præscriptionem dicti Concilii. *Consilium Authoris.*

540. Dicitur autem ut fiat *Commemoratio.* Cui satisfit per factam intentionem applicantis Missarum preces, quæ offeruntur in secundo Memento. Ita Barbosa citatus in declarationibus ad citatum Caput. De quibus videantur Rodriquez tom 1. q. 43. art. 13. Zerolus in Praxi Episc. p. 1. verb. *Missæ.* §. 3. & alij passim.

CAPUT XXI.

De potestate Cisterciensium Abbatum circa Sacramentum Extremæ Unctionis & Matrimonii.

Cister-tiens. possunt conferre extremam unctionem.

541. Dico 1. Abbates Cistercienses eorumque regulares curam animarum habentes conferre possunt Extremam Unctionem omnibus ad se spectantibus Familiaribus domesticis, servitoribus in locis ad monasteria eorum spectantibus. Videatur de hoc Bulla Nicolai IV. constit. *Honestis*, Alexandri IV. *Ex parte vestra*. Eugenij IV. *Commissum*.

542. Deinde de Cisterciensibus Curatis nullum est dubium: imò de non Curatis idipsum tenendum docent diversi Authores, etiam extra casum necessitatis cum licentia Curati expressa, vel saltem tacita rationabiliter præsumpta.

Cister-cienses possunt assistere Matrimonio.

543. Dico 2. Abbates Cistercienses eorumque Vicarii Regulares possunt assistere Matrimoniis suorum subditorum. Eo ipso quòd omnis hujusmodi potestas concessa per Concilium Tridentinum ipsis sit collata. Undè qui specialem & individualem circa hoc Abbatum potestatem dignoscere voluerit, consulat Concilium Tridentinum.

Corollarium. 1.

544. Ex quo infero 1. Abbates posse remittere denunciationes ante Matrimonium fieri solitas, si causa subsit.

545. Infero 2. Posse dispensare in impedimentis non dirimentibus; imò aliquando in dirimentibus post contractum Matrimonium, in causa urgentissima. 1. Si impedimentum sit juris humani, adeoque dispensabile. 2. Si sit occultum. 3. Si sit bonâ fide alterius saltem conjugis contractum. 4. Si non sit facilis accessus ad Summum Pontificem ob periculum in mora. In quibus tamen, ut cautè procedatur, videndi sunt Authores passim de dispensatione agentes. Vide meipsum de Votis, & de dispensatione votorum cap. ultimo. *Corollarium 2.*

546. Infero 3. Abbates posse cognoscere causas matrimoniales tanquam Judices ordinarios. *Corollarium 3.*

547. Nec obstat Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform: cap. 20. ubi dicitur, quod causæ Matrimoniales & criminales Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquantur. Nam ad citatum cap. juxta Barbos. n. 7. hoc non impedit, quo minus Abbatibus pleno jure jurisdictionem temporalem & spiritualem habentibus causæ Matrimoniales, & criminales committi possint, & debeant. *Solvitur dubium ex Concil: Tridont:*

548. Atque hæc de avita Cisterciensium Exemptione, eorundemque tot Summorum Pontificum Bullis concessa & confirmata Jurisdictione ad majorem DEI, & Deiparæ Immaculatæ Virginis honorem, Sacrique Cisterciensiũ ab origine exempti Ordinis emolumento dicta sufficiant.

Memi-

Admonitio ad Lectorem. 549. Meminerit autem benevolus Lector, hoc Opusculo nequaquam me intendisse omnia Cisterciensium Privilegia attingere, neq; enim hoc ut fieret, unquam desiderabatur: sed ea ferè, quæ eorundem dictam exemptionem & Jurisdictionem ordinariam concernunt, ad multorum instantiam perbreviter elucidare: quoniam verò præter multa Sacri Cisterciensis Ordinis Privilegia à multis sæpenumerò citata & specialiter ab Henriquez in Menologio Cisterciensium inserta, plurima alia ibidem, & ab aliis prætermissa in Archivio Cistercij reservantur, ea etiam ad majus robur eorum, quæ in toto hoc Opusculo contenta sunt, suo tempore lucem videbunt.

FINIS.

IN-

INDEX CAPITUM
PARTIS. I.
De Exemptione Cisterciensium.

com-

INDEX CAPITUM.

PARTIS II.

De Jurisdictione Abbatis Generalis. & Capitulorum Cisterciensium.

Cap

INDEX CAPITUM

PARTIS III.

De Jurisdictione Abbatum Cisterciensium.

ca

Cap.

